ANNIVERSARIA

IN MEMORIAM

REIPUBLICÆ SACRÆ ET LITTERARIÆ

CUM UNIVERSÆ TUM DANICÆ NOSTRÆ

RESTAURATÆ

CELEBRANDA INDICUNT

REGIÆ UNIVERSITATIS HAUNIENSIS

RECTOR

ET

SENATUS ACADEMICUS.



De Medicinae historia.

HAUNIÆ 1812.

Scripsit JOHANNES DANIEL HERHOLDT, Doct. et Prof. Med. P. E.

TYPIS EXPRESSIT DIRECTOR JOHANNES FRIDERICUS SCHULTZ,

AULÆ REGIÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

Qvæ olim causæ homines dispersos ad vitæ communitatem et civilem conjunctionem compulerunt, eædem ad instituendas artes humanæ societati necessarias coëgisse videntur. Mihi qvidem nihil magis volupe, qvam artis salutaris fata jam inde a primo ortu per varia, qvæ sensim cepit, incrementa, usqve ad illud, qvod nunc tenet, fastigium perseqvi; sed talis disqvisitionis amplitudo præscriptos prolusioni limites excedit. Licet mihi tantummodo e locupletum auctorum scriptis nonnulla promere, e qvibus cognosci potest medicinæ facies, qvo tempore e diversarum, qvas universa ars complectitur, disciplinarum cultu et incremento, patria non utilitatem tantum sed etiam gloriam conseqvi coepit.

Medicina cum nulla non ingenua ac liberali arte antiqvitatis gloria certat. Sicut enim homines sanos ac viribus valentes, fames ac sitis compulerunt, ut alimenta, si hæc terra non sponte tulit, prius qværerent, qvam agricultura unqvam fuerit; sic etiam ægros dolorum et molestiarum, qvæ morbos comitantur, metus coegit, ut varia remedia prius arriperent, qvam medendi ars uspiam exstiterit. *Plinius* historiæ naturalis scriptor, ut ab hoc auctore ordiar, testatur: "millia gentium sine medicis degere, nec tamen sine medicina" *). Ejusdem sententiæ *Celsus:* "etiam, inqvit, imperitissimæ gentes herbas aliaqve promta in auxilium vulnerum morborumqve noverunt" **).

Item

*) Hist. mund. Libr. XXIX. p. 525.

**) Medicinæ Libr. I. p. 1.

Item *Qvintilianus:* "Illud", ait, "admonere ſatis, omnia, qvæ ars conſummarit, a natura initia duxiſſe: aut tollatur medicina, qvæ ex obſervatione ſalubrium atqve his contrariorum reperta eſt; et ut qvibusdam placet, tota conſtat experimentis. Nam et vulnus deligavit aliqvis, anteqvam hæc ars eſſet; et febrem qviete et abſtinentia, non qvia rationem viderat, ſed qvia id valetudo ipſa coëgerat, mitigavit" *). Illud idem confirmat *Seneca* his verbis: "Medicina qvondam paucarum fuit ſcientia herbarum, qvibus ſiſteretur fluens ſangvis, vulnera coirent paulatim, deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec eſt mirum, tunc illam minus habuiſſe negotii, firmis adhuc corporibus et facili cibo, nec per artem voluptatemqve corrupto" **).

Conſona hæc auctorum teſtimonia medicinæ originem et conditionem antiqvisſimo tempore monſtrant; e his qvoqve elucet, medicinam clinicam ſeu domeſticam, qvæ ut omnium antiqvisſima Deorum immortalium inventioni olim conſecrata fuit ***) a primo ortu cognitionem *naturalem* ſolummodo fuiſſe, caſibus fortuitis atqve experimentis vagis innixam. Hoc *Celſus* uberius explicans: "ægrorum, inqvit, qvi ſine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum aſſumpſiſſe, alios propter faſtidium abſtinuiſſe, levatumqve magis eorum morbum fuiſſe, qvi abſtinuerant. Item alios in ipſa febre aliqvid ediſſe, alios paulo ante eam, alios poſt remisſionem ejus; optime deinde his cesſiſſe, qvi poſt finem id fecerant. Eadem ratione alios inter principia protinus uſos eſſe cibo pleniore, alios exiguo, gravioresqve eos factos, qvi ſe implerant. Hæc ſimiliaqve, cum qvotidie inciderent, diligentes homines notaſſe, qvæ plerumqve melius reſponderent: deinde ægrotantibus ea præcipere coepiſſe. Sic medicinam ortam, ſubinde alio-

*) Inſtit. orat. Lib. II. c. 18.

**) Epiſt. XCV.

***) *Cicero* in Tuſc. Qvæſt. l. 3.

aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernentem a salutaribus" *).

Qvamdiu itaqve via cognoscendi nondum calcata esset, veteres illi, ut molestiarum levamen impetrarent, aliqvid audere et periclitari ausi prius sunt, qvam nossent, qvibus observatis, qvibusve remediis morbi sive levari sive tolli possent. Apud priscos qvoqve licuit cuivis medicinam exercere tanqvam artem prorsus liberam, nulloqve vinculo restrictam, cujus copia unicuiqve e populo patuit ceu humanitatis officium, qvod nemo, si posset, prætermittere debebat. Nec dum publica cura medicinam juvit, multo minus certus civium ordo medicinæ exercitium lucro apposuit. Ex his facile intelligi potest, inventionem medicinæ mortalium non uni recte tribui, sed apud plures nationes necessitate natam et altam.

Post hæc medicinæ domesticæ incunabula variæ itidem gentes, qvantum in iis esset, operam dederunt, ut Clinice majori observationum numero ad ægrorum levamen citato velut gradu provehi posset. *Strabo* testimonio suo hoc confirmans: "*Babylonii*, inqvit, ægrotos in compitis exponentes, qværunt e prætereuntibus, qvisqvamne morbi præsentis remedium norit; neqve vero prætereuntium ullus adeo est improbus, qvin occurrens admoneat, si qvid salutare novit" **). Illud idem diserte *Herodotus* his verbis: "Aliam Babylonii sapienter condiderunt legem, ægrotos efferendi in forum (neqve enim medicis utuntur), ut de eorum languore consultent. Accedentes igitur ad ægrotum siqvi aut eodem morbo laboraverint, aut laborantem alium viderint, de illo consilium dant, hortanturqve ad ea qvæ ipsi faciendo effugerint similem morbum, aut alium noverint effugisse. Nec fas est cuiqvam ægrotantes præterire silentio, nec anteqvam exploraverit qvonam ille morbo laboret" ***). Eundem morem, scilicet ægros consultationis gratia

*) Medic. L. I. p. 9.

**) Rerum Geogr. Lib. XVI. p. 746. Isaac. Casseboni edit. Lutet. 1620.

***) Clio Lib. I. §. CXXVII. pag. 83. Londini 1679.

in triviis exponendi, etiam apud *Ægyptios* ab antiqvisſimis inde temporibus in uſu fuiſſe, ex *Strabone* itidem compertum habemus *).

Collecta hoc modo obſervationum copia, medendi ſcientia in primis ante *Alexandriam* conditam (331 an. ante Chr. nat.) ſapientiæ pars habita fuit, ita ut tam morborum curatio, qvam rerum naturæ contemplatio eodem tempore ab iisdem viris, a ſacerdotibus præcipue, exculta ſit. Hi itaqve non ægrorum ſolum curationes perfecerunt, ſed etiam, qvo major eſſet ſæpius cum ſucceſſu repetitarum curationum auctoritas, ſingula, qvæ ad curam pertinebant, literarum monumentis mandarunt et conſignarunt. Inter horum medicorum ſcriptores primum locum tenuit *Hermes*, cognomine *Trismegiſtus*, magni Regis *Oſiridis* conſiliarius, *Aſclepiadisqve* præceptor. Is enim eximia ingenii perſpicacia in excogitandis vitæ humanæ commodis inſtructus, univerſam, ut traditur, *Ægyptiorum* ſapientiam in XLII libris expoſuit, qvorum ſex ultimi ad medicinam pertinuerunt **). Ceteroqvin et magnam medicorum dignitatem et magnum qvoqve eorum numerum tum temporis fuiſſe ex eo colligi poteſt, qvod tertia pars *Ægypti* ſacerdotibus fuit tributa, unde vitam ſuſtentare et Deorum cultui famulari poſſent ***). Hanc inſuper dignitatem liberi et ſangvine juncti velut hæreditatis jure perpetuo acceperunt, qvare ſacerdotes, qvos fundi publici alebant, medicinam fecerunt, privatæ mercedis haud indigentes. Omnibus medendi cura et curatio gratis præſtita fuit; non militibus tantum in expeditione, ſed etiam civibus, ſi intra patriæ fines peregrinantes in morbum inciderent. Ita ſolertisſima *Ægyptiaca* gens nullis laboribus, nullisqve ſumtibus pepercit, ut ſecula ſalutaribus inventis bearet ****).

No-

*) Rer. Geogr. Lib. III. p. 155.

**) *Borrichius* de Hermetis AEgyptiorum et Chemicorum ſapientia L. I. c. 1.

***) *Diodor. Sicul.* L. I. p. 18-64.

****) Prætereo *Chaldæos*, qvi de omnis eruditionis inventione cum *Ægyptiis* contendiſſe feruntur. Nam antiqvisſima illorum hiſtoria tot fabulis adeo

invo-

Notatu præterea dignum eſt, non plurimos ſolum medicos, ſed etiam ſingularum corporis partium medicos apud *Ægyptios* fuiſſe. *Herodotus* refert medicinæ perfesſionem ita deſtributam fuiſſe, ut ſingulorum morborum ſinguli medici ſint, alii oculis medicinam faciant, alii capiti, alii dentibus, alii ventri medeantur, a qvibus diverſi ſunt, qvi in morbis occultis auxilium ferant *). Uti cetera, ita hoc inſtitutum magiſtratui mandatum et ſubditum fuit. Leges medicis interdixerunt, alios, qvam qvos didicerant, morbos curandos ſuſcipere, et ſuam cuiqve artis univerſæ particulam præſcripſerunt; hanc propriam fecerunt, hujus ſolius exercitium permiſerunt. Conſtat alia lege conſtitutum fuiſſe, ut ne qvis medicinam faceret, niſi ſecundum normam ſacrorum codicum, ſive *Hermetis* libros; ſecus ſi qvis faceret, capitis judicium ſubiret, ubi qvid adverſi eveniſſet. Literarum monumenta prodiderunt, legislatorem in animum induxiſſe, medendi rationem longi temporis uſu obſervatam, et ab optimis artificibus præſcriptam ac comprobatam, a paucis ſolummodo vi ingenii et ſolertia ſuperari poſſe **).

Varia tamen obſtiterunt, qvo minus medicina *Ægyptiaca* ſuo conſilio potiri poſſet. Celabant enim ſacerdotes qvoslibet fere artis progreſſus, ita ut nemo ſacris non initiatus, ante *Chriſtum* natum, ad *Hermetis* ſcripta facile admitteretur; neqve a magicis ineptiis medendi ars libera fuit, contra id ſalutaria artis præcepta ſuperſtitioue plena fuerunt. Diviſio artis in particulas effecit, ut ſtudium morborum, qvi rarius inciderent, neglectum ſit, ut-

involuta eſt, ut verum a falſo ægre deſtingvi posſit. Varii ſcriptores tamen confirmant, magicis artibus atqve incantationibus *Chaldæos* totos deditos fuiſſe, qvare operæ pretium non eſt qværere, qvanti horum medicina ſit æſtimanda. Cana vetuſtas, ad qvam origo literarum *Ægyptiacarum* adſcendit, artium primordium adeo occultat, ut eæ omnes eodem fere tempore inventæ videantur, qvod tamen a fide abhorret.

*) Euterpe L. II. §. LXXXIV.

**) *Diod. Sicul.* L. I. c. LXXXII. p. 71.

utqve artis cultores in particularia tantum intenti, a generalioribus præceptis ſint avocati. His accedit, qvod lex exercitium artis circumſcribens, et medicis periculum interminans, ſi conſilium male cederet et ægrotus interiret, metum aliqvid melius audendi incuteret, et efficeret, ut iidem, ſepoſitis efficacioribus remediis, diætetica ſolum et mitiora pharmaca, qvorum vires cognitas habuerunt, adhiberent, neqve cuiqvam facile in mentem veniret, novis experimentis artis, jam nunc coërcitæ, et duro jugo preſſæ progresſum juvare. Inveterata illa opinio: artem medendi veterum labore jam ſatis excultam eſſe, ut ab inſciorum temeritate cives ſecuros præſtare ſatis provide intendit, ita novis ac melioribus inveniendis viam obſtruxit, et poſterorum impetum ad artis profectum retardavit, cum artem diſcentes credere jubebantur, majorum certe priorum veſtigiis ſemper inſiſtendum, neqve ultra audendum. Unde factum eſt, ut præclarus ille ardor pro arte juvanda ac provehenda refrigeſceret, nullumqve ſtudium in arte ad majus faſtigium evehenda collocaretur. Hinc qvi arti ſtuduerunt, nihil novi melius et rectius excogitare anniſi ſunt, vel mentis uſu ac experimentorum ope arti ea, qvæ partim animi intentione ac diligentia eſſent aſſecuti, partim ævum progrediens ſecum tuliſſet, addere allaborarunt. Qvare non mirum, ſi medicina apud priſcos ſic conſtituta, qvamvis a multis viris, iisqve illuſtribus, et magnam gloriam conſecutis exercitata, nondum tamen, ſicut noſtro ſeculo eſt, plene publica facta ſit, aut univerſæ genti, qvamvis omnibus libera, tamen minus profuerit.

A re medicinæ in *Ægypto* moribus et legibus antiqvitus ſic conſtituta ad expeditionem *Argonautarum*, qvæ qvinqvaginta circiter annos ante expeditionem *Trojæ* ſuſcepta traditur, nihil notabile de *Ægyptiorum* medicina, certe ad incrementum artis faciens, comperire potui. Qvare niſi qvid, myſteriis et antiqvitatis tenebris adhuc circumfuſum, dies veniens promit, plura ſecula ſine notabili medicinæ incremento lapſa annales fidem faciunt. Ut cujuscunqve artis ingenuæ ita medicinæ progreſſus, experientia, ſolertia in-

ingenii, animus audendi prudentiæ junctus, et libertas juvant et augent: superstitio, aliaqve vincula æqve indigna coërcent et impediunt.

Græci liberiori et coelo et reipublicæ administratione utentes, plurimas medicinæ partes majori diligentia excoluerunt, qvare illa jam antiqvitus tam in magno honore fuit, qvam diu floruit, præcipue in peninsula *Cnido*, insulisqve *Rhodo*, *Co*, *Epidauro*. Qvid et qvantum hoc ævo a singulis præstitum sit, latet. Ecqvis eruditus tamen ignorat, summos illos antiqvitatis medicos: *Melampum*, *Chironem Centaurum*, *Æsculapium*, *Podalirium* et *Machaonem*, qvos Græcia protulit, qviqve in humanarum calamitatum levamen ingenii sui vires intendentes, et naturam ducem seqventes, gratiam posteritatis meruerunt, bene merendo gloriam longe majorem, et supra mortalium fastigium consecutos qvam genere, qvamvis nonnulli erant summo genere et regio sangvine orti. Sileo qvæ ad artis incrementum a his præstita auctores locupletes memoriæ prodiderunt. Constat hos antiqvitatis medicos non magna existimatione tantum sed etiam Divinis honoribus dignos esse judicatos. *Virgilius*, qvi idem in medicinam incubuerat, cuiqve singularem peritiam morborum pecudis, eqvorum præcipue, neqve minorem scientiam curationis et mediorum, qvibus hi morbi profligantur, scriptores tribuunt, morborum pecudis causas et signa docens, pestis omnia nota medicamina eludentis maximam calamitatem describens, nominat hosce ipsius antiqvitatis Græcos medicos et ita canit;

"*Qvesitæqve nocent artes, cessere magistri*
"*Philliridis Chiron, Amynthoniusqve Melampus* *).

Æsculapius ingenio et vigore mentis excellens, neqve minus arte, — qvæ apud Græcos, moribus nondum corruptis, benefactorum memoria, bonarum artium verecundia fuit — parem Diis coelestibus honorem adeptus est. Hujus filii in bello Trojano Agamemnonem, expeditionis ducem, sunt secuti.

*) Georg. L. III. v. 549.

euti. Historici ferunt *Podalirium* in Cariæ Chersonesum delatum, hanc insulam Regis *Damoëthi* dono, cujus filia magni hujus medici arte servata, ei in matrimonio data est, tanqvam dotem accepisse, atqve Syrnam a nomine uxoris vocatam et Bybarsum urbes condidisse. *Machaon* in Peloponeso mansit, ubi sua generosa proles Divinos honores conseqvuta est, qvod existimabatur, "morbo laborantes et aliqva captos corporis parte sanare" *). Eodem tempore templa non pauca ægris recipiendis destinata fuerunt, variaqve religione culta, qvibus sacris etiam gens Asclepiadum præfecta fuit. "Hisce templis", ait *Schulze* **), "sui fundi, sui reditus erant a conditoribus assignati: et qvi sanationis causa accedebant, offerre aliqvid Deo debebant, qvod deinceps ex ara sublatum suis usibus sacerdotes consecrabant. Opem efflagitaturi in templum ferebantur, ubi post lustrationis ritus ad aram liba afferebant. Nocte decumbere in templo jubebantur atqve qviescere: Dormientes sacerdotum qvidam, Æsculapii habitu indutus, qvem filiarum Æsculapii caterva seqvebatur, ægrotos visitabat, eaqve administrabat, qvæ necessaria viderentur. Ita qvidem aliqvi restituebantur applicatis remediis; alii illa ipsa experientes, qvæ ipsis in somnio præcipere Æsculapius videbatur. Qvemadmodum vero hæc omnia tam callide agebant, ut ipsi Deo tribueretur sanationis, qvod qvisqve conseqvutus esset, beneficium; ita eodem invento facile poterant a se amoliri minus ad votum fluentium curationum invidiam. Tales enim ægrotos, tanqvam per iram nescio qvorum numinum merito afflictos, cum abjurgatione a se demittebant. Qvibus vero sanationis beneficium obtigerat, hi ut gratos se declararent, solebant tabulis in templo suspensis inscribere, qvidqvid auxilium fuerat". — Optime cum his qvadrant, qvæ de horum templorum cultu nuper memoravit noster *Thorlacius*. "Hic, ait ***, "locum elegerant sacerdotes aëris serenitate salubrem, ut Dei suumqve

*) *Pausan.* IV. p. 354.

**) Hist. anat. p. 412.

***) Idæa medici ex Hippocrate. Prolusio anno 1803.

qve munus esse jactarent medelam, qvam vel fons limpidior, vel luci montisve blanda temperies ægro attulisset; illic profanis aut omnino inaccessæ erant ædes, aut non nisi prævia lustratione operosa adire poterant. In ipsis ægris multæ symbolicæ actiones suscipiebantur, qvarum is finis erat, ut phantasiæ vis intenderetur, qva excitata stupendos interdum effectus produci sacrorum antistites non ignorabant; a rigidiori victus tenore, a lavacris, frictionibus, unctionibus, somniisqve præsagis plus petebatur præsidii, qvam a medicaminibus, qvæ vel nulla vel in neutram partem efficacia præbebantur. Concordi naturæ, aëris, fraudis, experientiæ, solertis subinde peritiæ, conspiratione multæ sanationes feliciter succedebant, qvas licet mystarum narrationibus in nimium auctas, arti tamen medicæ multum profuisse, plura credere jubent. Testabantur votivæ tabulæ restitutam in integrum multorum valetudinem; nec solum pharmaca, qvæ ars ingeniosa invenerat, in postibus et columnis notata, sed instrumenta etiam chirurgica templo donata reperimus."

Ex his credo intelligi posse, qvæ Asclepiadarum conditio fuerit, et qvalem medicinam exercuerint. Verum enim vero ne hisce sacrorum Æsculapii antistitibus plus intelligentiæ tribuamus, qvam res et veritas concedat, ad *Anatomiæ* et *Chemiæ* conditionem tum temporis respicere operæ pretium est, cum ambæ disciplinæ nostro seculo artis medicæ oculi merito habentur.

Ægyptios *Anatomiam* in humano corpore non exercuisse, sed animalia maxime dissecuisse vel inde conjectare licet, qvod ii in curatione funeris scissores, qvos habuerunt, exsecrati sunt, qvamvis absqve his corpora civium demortua saliri condirive neutiqvam possent *). Illud idem de Græcorum anato-

*) *Diod. Sicul.* (L. I. c. XCI.) de hac re ita testatur: "Paraschistes, ubi carnis, qvantum lex jubet, dissecuit, ex templo qvanto potest cursu aufugit, perseqventibus eum qvotqvot adsunt cum lapidum jactu et exsecrationibus, ac si piaculum in ipsum avertant, etc."

anatomia valere ſolidis rationibus Cl. *Schulze* evicit. "Qvantum memini", inqvit *), "nemo veterum de Aſclepiadis commemorat, illos humana corpora incidiſſe, nec veroſimile eſt, inter populos liberos, qvales Græci fuerunt, qvemqvam manus inferre mortuo homini auſurum fuiſſe; qvum leges eorum, qvantum ex iis reſtet, teſtentur, qvam magna ſuperſtitione circa defunctos verſati fuerint. In bellis forte licuiſſet hoſtium cadavera incidere, ſed nec illud difficultate ſua caruiſſe videtur, qvoniam in illis, qvæ Græci inter ſe gerebant, ſolemne erat poſt pugnam inducias facere, ut cæſorum corpora honeſtæ ſepulturæ mandarentur. In illis vero etiam, qvæ cum barbaris gerebantur, ſummo crimini, mortisqve pœnam luendo Duci imputabatur, niſi cæſorum corpora ſepelienda curaſſet, eamqve veniam, ſi opus eſſet, pacto induciarum impetraſſet: unde colligas eandem æqvitatem illos hoſtibus indulſiſſe, niſi præcipiti fuga ſalutem qværere, longiusqve evadere mallent. Illud etiam, addit *Schulze*, non parum facit ad dubitationem meam fovendam, qvod in tot ſcriptis Græcorum, qvæ fortuna nobis conſervavit, nulla diſerte mentio exercitationum ejusmodi inveniatur, qvum gravia argumenta exſtent, qvibus contrarium edocemur. Neqve tamen propterea nego potuiſſe Aſclepiadas, qvibus diſcendi cupiditas major erat, in bellis multa curioſius obſervare, qvæ ad corporum humanorum cognitionem faciunt. Debebant enim medici caſtra Græcorum ſeqvi, et ex *Lycurgi* inſtituto, ſi qvando acies inſtrueretur, una cum vatibus et tibicinibus ceterisqve exercitus principibus proxime circa ducem ſubſiſtere" **).

Qvamvis hæc ad indolem anatomiæ Aſclepiadarum cognoſcendam ſufficerent; non poſſum tamen, qvin moneam, vel animalium anatomiam tardius incrementum cepiſſe, qvod antiqvisſimis temporibus bruta mactare plerisqve popu-

*) l. l. ſpec. prim. p. 416.

**) conſ. *Xenophon.* de republica. Lacedem. p. 670.

populis religio fuit, eorundem cadavera vel contingere nefas, lacerare fcelus *). *Pythagoras* animalibus abftinuit, exiftimans, ubi laceratio in voluptatem processerat, homines crudelitati asfvefieri. Inter normas hujus fectæ hæc fuit: "nullum animal edimus, reliqva vero omnia præter fabas" **). Spretis fenfim præjudicatis his opinionibus ars demum lanionia et culi-

*) *Hyperbius*, Martis filius, animal primus, *Promothæus* bovem occidiffe, traditur. (Plin. H. N. 7. 56.). Hi a *Plutarcho* (Orat. II de efu carnis) barbariei et tyrannidis damnantur.

**) *Senecæ* epift. 108. — *Pythagoras* in infula Samo natus eft Olympiade LIII. Is, poft diuturnam in AEgypto præcipue commorationem, in patriam rediens et hanc a Tyranno oppreffam inveniens, ibidem manere noluit. Hinc primum Italiæ Crotonem, deinde Agrigentum petiit, fcholasqve philofophicas utrobiqve aperuit. Inter medicos, qvi e fchola Crotonienfi prodierunt, præ ceteris fama inclaruit *Democedes*, de qvo hæc narrantur: Ille patrem habuit *Polycratem*, cujus iracundiam et morofitatem cum ferre non poffet, Crotone relicta, AEginam pervenit, ubi per annum commorans, fummos medicos facile fuperavit, etfi imparatus, et inftrumentis, qvæ ad artem exercendam pertinerent, deftitutus. Inde factum eft, ut AEginetæ feqventi anno ipfum talento conduxerint, Athenienfes tertio anno centum minis, *Polycrates* autem, Sami Tyrannus, anno qvarto talentis duobus. Hac conditione *Democedes* Samum concesfit, et *Polycratis* curam gesfit. Hic, cum deinde ab *Oraeta*, Perfarum Regis præfecto, arcesfitus, fufpenfus effet, *Democedes* cum pluribus Græcis, qvi *Polycrati* a latere fuerunt, captivus detentus fuit. *Oraeta* brevi poft Perfis fufpecto et trucidato, omnes, qvos fecum habuit, in Perfiam abducti funt, in qvibus etiam *Democedes*, artem fuam de ftudio disfimulans. Accidit, ut Rex *Darius* venatum profectus eqvo defiliret et pedem luxaret. Per feptem dies noctesqve Rex doloribus cruciatus nulla reqvie frui poteft; accerfiti AEgyptiaci medici nihil proficiunt, eorumqve medicamina nullum fucceffum habent. *Dario* tam graviter affecto nunciatum fuit, inter fervos effe *Democedem*, qvi medicina

culinaria, victimarum immolatio, extiſpicina et haruſpicina; nec non Trojanis temporibus ipſius chirurgiæ exercitium ortum anatomiæ dederunt. *Homeri* ætate et hanc proxime ſeqvente ad *Hippocratem* usqve veri ſimile eſt, et medicos et philoſophos anatomiam ſolum animalium promiſcue coluiſſe. In Aſclepiadarum familia hujusmodi exercitia anatomica, velut domeſtica in uſum tandem venerunt. "A pueritia enim", inqvit *Galenus* *) "apud parentes exercebantur, uti lectione et ſcriptura, ſic etiam cadaverum confectionibus." Primus vero, qvi ardore eximio ac ſtudio indefeſſo anatomiam animalium excoluit, *Democritus* exiſtimatur. Illuſtris hic philoſophus, 80ma Olympiade Abderæ natus, in Ægyptum ad ſacerdotes profectus eſt, ut horum artes, (inter qvas etiam aliqva certe anatomia animalium fuit **) arriperet

na calleret. Eum Rex illico arcesſiri, ſuamqve artem profiteri jubet. Hic Græcæ libertatis tenax medicinæ ſe peritum diffitetur, *ſtimulis* ac *verberibus* coactus tandem ſatetur. Tum is parat ſomentum molliens, qvod omnem tenſionem ac inflammationem tollit, Regemqve brevi tempore ſanat. Ab hoc tempore AEgyptiacorum medicorum celebritas ac fiducia valde concuſſa eſt, Cretonienſium vero æſtimatio inſigniter aucta. AEgyptiacorum medicorum curæ fruſtraneus eventus D*arium* in furorem adeo vertit, ut omnes medicos, *Democede* excepto, cruci affigi juberet, qvæ crudelis ſententia, qvo minus perficeretur *Democedes* deprecans prohibuit (Herodot. Lib. III. Var. Hiſt. Libr. VIII). E ſchola *Pythagoræ* Agrigentina prodierunt *Alcmeon*, qvi anatomiam exercuiſſe, et tubam, nunc *Euſtachianam* dictam, noviſſe dicitur; *Empedocles* et *Acron*, ambo Agrigenti nati, qvorum alter alterum contemſit, *Empedocles* in Sicilia (*Diog. Laert.* de vita philoſ. Lib. VIII.) *Acron* Athenis (*Plutarch* de *Iſide* et *Oſiride*) peſtem feliciter exſtinxit. Memoratu dignum eſt, *Empedoclem* jam cochleam organi auditus obſervaſſe (*Plutarch* Lib. IV. c. 16, et *Galen.* hiſt. philoſ. c. 97.)

*) Ad. anatom. 2.

**) *Diod. Siculus.* Antiqv. P. II. c. 5.

peret *). Qvod ſtudium, Abderitis inviſum, magnas ei poſt peperit moleſtias, qvas animo virili ſuſcepit ac pertulit. Hinc Philoſophus urbem fugiens, inter cadavera ſectorum a ſe animalium, ut eorum ſtructuram organicam, qvantum tum licuit, cognitam haberet, extra pomoeria deliteſcens vitam ſuam inter experimenta conſumſit. Hac qvidem ratione Abderitorum odium is effugit, ſed non ſententiam, qva *inſaniæ* illum damnarunt **). Nec deſunt literarum monumenta, e qvibus conjectare licet, *Democritum* fatuis ſuis civibus ob anatomiæ ſtudium ludibrio fuiſſe ***). Tanta impedimenta progreſſui anatomiæ tum obſtiterunt.

Græ-

*) ita *Diogen. Laert.* ex *Antiſthene* tradit. Ex *Strabone* et *Clemente Alexandrino* etiam conſtat *Democritum* in AEgypto familiariter vixiſſe cum ſacerdotibus, et qvidem annos qvinqve.

**) *Hippocrates* in ep ſtola ad *Damagetum* (aut qvicunqve alius ejus epiſtolæ auctor ſit) refert, ſe ex juſſu populi arcesſitum, ut inſaniæ *Democriti* mederetur, vidiſſe hunc compoſite ſuper genua librum habentem, aliisqve libris utrinqve circumdatum, inſuper animalium cadavera disſecta ac diſperſa penes ſe habere; eundem interdum ſubſiſtere meditantem et qvieſcentem; his peractis exſurgentem ambulare, et animalium viſcera attente inſpicere, qvibus depoſitis reverſum mutum diſcedere; Id intuentes Abderitas opinari inſanientis eſſe. Tum *Hippocrates* a *Democrito* qværens, qvid is de inſania exiſtimaret, hoc reſponſum accepit: qvidnam vero aliud, qvam qvid ſit, et qvomodo hominibus innaſcatur, et qvanam ratione tolli posſit. Hæc enim, "addit", animantia qvæ vides, non alia de cauſa ſeco; Dei opera minime odio proſeqvens, ſed in bilis naturam et ſedem inqvirens. Nonne vides, me qvoqve hujus vitii participem eſſe, dum in inſaniæ cauſam inqvirens, animantia macto, ac reſeco, qvam in hominibus perſcrutari oportuit. *Hippocrates Democritum* in contemplatione Naturæ adeo defixum reperiens, neutiqvam ipſum, ſed Abderitas *Helleboro*, ceu inſaniæ remedio, egere juſte pronunciavit.

***) *Democritus* (inqvit *Lucianus* in Dialog. Philopſeude) cum ſe in monumento

Græcorum *Chemiam medicinalem* qvod attinet; neqve hujus facies cultoribus artis arrisit. Qvamqvam enim, ut noster *Borrichius* docet *) varia medicamina sic dicta pharmacevtica, variæqve operationes chemicæ Ægyptiis jam olim cognita fuerunt, verisimile tamen est, contumacem illam sacerdotum taciturnitatem id effecisse, ut hæc cognitio, saltem maxima ex parte, perierit, ejusqve minima pars ad Græcos pervenerit. Neqve pharmacia apud hunc populum notabiliora incrementa cepit. Qvidqvid enim in veteribus Græcis, uti vocantur, chemicis invenitur, id ad metallorum fusionem vel transmutationem, verbo ad Alchemiam, unice pertinet. In chemica remediorum sive synthesi sive analysi, vix ullam operam collocarunt, neqve ad horum vires e principiis chemicis eliciendas animum adverterunt, neqve de chemia animali solliciti fuisse videntur.

Sic *anatomia* et *chemia medicinali* nondum excultis, per se patet, Græcos hisce disciplinis, cognitionis medicæ fundamento, fere destitutos, *physiologia* simul et *pathologia*, qvæ hoc nomine dignæ sint, necesse caruisse, qvare neqve iis licuisse sive ad ullam artis *theoriam*, sive ad principia artis *generaliora* adscendere, multo minus *politiam medicam* constituere, vel *medicinam forensem* ex iis, qvæ cognita habuerunt, elicere. Universa, qvam tenuerunt, medendi ars videtur fuisse prorsus empirica, innixa sola observatione, qvæ fallere possit, et analogia, qvæ e symptomatum similitudine ducta sit. Qvare mirum non est, si, *Homero* teste, *Podalirius* et *Machaon*, ut medici militares, sive in pestilentia, sive in qvibusdam aliis morborum generibus, nihil

mento extra portas clausisset, illum qvidam juvenes illudere ac perterrefacere cupientes, nigra veste in modum cadaveris induti, ac personis in capita affictis, circumsistunt, illum circumsiliunt, et crebro subsiliunt. Hic vero eorum commenta neutiqvam pertimuit, nec qvidem ad illos respexit, sed inter scribendum, desistite, inqvit, ineptire, παύσαστε παίζοντες.

* De medicina Hermet. p. 155.

nihil auxilii commilitonibus ſuis afferre potuerunt. Non ſilebo ex medicinæ partibus *artem obſtetriciam* olim neglectam in primis fuiſſe. Ex familia nempe Aſclepiadarum pauci admodum huic arti ſe immiſcuerunt, neqve mulieres hanc artem ſunt edoctæ. Veroſimile igitur eſt, multas parturientes (niſi ubi natura ſatis valuit) qvod artis auxilio indiguerunt, ubi ejus præſidio opus erat, miſere periiſſe, alias ſive inſcitia interemptas, ſive in has crudeliter ſævitum *). Aſclepiadarum beneficia et merita in ſingulos homines qvantacunqve, *univerſo* tamen *populo* minus profuerunt.

Laborem ſuſciperem ſterilem et infructuoſum, ſi ſingulos progreſſus, qvos medicina ad id temporis fecerit, eruere conarer. Cuncta fere, certe plurima, ob ſcriptorum interitum ſpiſſis tenebris et obſcura nocte adhuc premuntur. At alius de alio judicat dies; blandi poſt nubila ſoles oriuntur. Qvicqvid olim in occulto fuit, id ætas Divi *Hippocratis* in apricum protulit. Is

*) Græcis obſtetrices olim defuerunt. Athenienſes tam ſervis qvam feminis artem medicam diſcere interdixerant. Hujus rei fidem facit *Hygini* fabula. "*Agnodice* qvædam puella virgo concupivit medicinam diſcere, qvæ cum concupiſſet, demptis capillis, habitu virili ſe *Hierophilo* cuidam tradidit in diſciplinam, qvæ cum artem didiciſſet, et foeminam laborantem audiſſet, ab inferiore parte veniebat ad eam, qvæ, cum ſe concredere noluiſſet, æſtimans virum eſſe, illa, tunica ſublata, oſtendebat ſe foeminam eſſe, et ita eam curabat. Qvod cum vidiſſent medici ſe ad foeminas non admitti, *Agnodicem* accuſare coeperunt, qvod dicerent eam glabram eſſe, et corruptorem earum, et illas ſimulare imbecillitatem. Qvo cum *Areopagitæ* conſediſſent, et *Agnodicem* damnare coeperunt, qvibus *Agnodice* tunicam allevavit, et ſe oſtendit foeminam eſſe. Et vehementius medici accuſare coeperunt, qvamobrem foeminæ principes ad judicium convenerunt, dixeruntqve vos conjuges non eſtis, ſed hoſtes, qvia qvæ ſalutem nobis invenit, eam damnatis: Tunc Athenienſes legem emendarunt, ut ingenuæ artem medicam diſcerent." (vid. *Riegels* de fatis fauſtis et infauſtis chirurgiæ p. 18.)

Is ortus ex familia Asclepiadarum, natus est in insula Co, anno 1mo Olympiadis 80mæ, a patre suo *Heraclide*, more Asclepiadarum (conf. pag. 12), in medicina institutus, singulari mentis vigore instructus, et vehementi discendi cupiditate incensus, genuinam, solidam et accuratam artis scientiam sibi comparare, eaqve, qvam maxime posset, prodesse studuit. Apud *Georgiam* (Sophistam) philosophia innutritus, *Herodicum* in medicina præceptorem habuit, *Democritum* postea audivit. Sic inter philosophiam et medicinam velut suspensus, qvod summum hujus viri acumen fuit, perspexit illam, qvæ rerum naturam *generatim* rimatur, perseqvitur et evolvit, artem medico neqvaqvam sufficere, eiqve opus magis esse *specialem cognitionem* de hominis natura tam in sano qvam morboso statu. Qvæ scientia cum late patet, neqve sine longo temporis usu acqviri potest, *Hippocrati* digna visa est, in qvam ceu peculiarem disciplinam totus incumberet, qvidqve valeret, experiretur. Hinc is primus ex omnibus memoria dignis, *Celso* teste, medicinam a communi illo sapientiæ studio separavit, ut conjecturis minus qvam usu peritus in sua tantum arte philosopharetur. Fidem fere superat, qvantum ille unus arduam hanc et spinosam viam ingressus præstitit. Ex tabulis votivis sive Co, sive Cnidi suspensis, qvæcunqve arti proficua visa sunt, ea omnia excerpsit, propriis observationibus magnopere auxit, et in eximiam generis humani salutem posteritati reliqvit. Suum propositum qvo certius asseqvi posset, parentibus vita functis, multum peregrinatus, magnum experientiæ thesaurum undiqve collegit, qvem larga manu dispensans artem ipse ditavit. Qvis dubitet, inqvit *Borrichius* *), *Hippocratem* ceu *Democriti* Ægypto innutriti discipulum, elementa prognosticorum suorum debere Ægypto, ut a patria sua non nisi triduo itinere distanti? At qvid est, cur de Divo hoc artis parente singula perseqvar. Magni *Boerhavii* judicium verecunde proferre malo. "Comparetur ille, inqvit **), qvem volunt, qvam dis-

*) *Hermetis* sapient. Cap. VII. p. 178.

**) Orat. de commendando studio *Hippocratico*, in actis erudit. Part. 78.

dispar erit ratio! Alii, qvid unius, hic qvid plurium industria valeat, exhibet. Alii suis modo oculis, hic multorum usus est acie. Ceteri per singulos ægros, hic per eorum agmina experimenta fecit. Pauci qvid inter arcta unius urbis pomoeria morbi sit, tradiderunt; ille, qvæ in tot vicos, urbes, regiones, et regna lues grassaretur, observabat - - - atqve inde natam arbitror eorum, qvæ scripsit, æternitatem; hinc ortam, puto, illorum, qvæ XXIII seculorum examen sustinuerunt, integritatem." Res ipsa sic loqvitur; opus artificem commendat.

Hippocrates phænomenis sub ipsius artis exercitio observatis totus fere innixus est. Multitudinem observationum innumerabilem colligendi cura et studio omnes antiqvitatis medicos mirum qvantum superavit. Observatis suffultus, *Plinio* teste *), primus medendi præcepta clarissime condidit. Si qvando novus morbus, aliave nondum observata, inciderent; analogiam in subsidium vocavit, ut, comparatione instituta, in ejusmodi dijudicandis caute et circumspecte procederet. Hanc viam ingressus hic medicinæ stator historica morborum cognitione (Semiotica præcipue) eminuit; philosophicam vero eorundem dijudicationem parvi æstimavit. A differendi subtilitate et conjectandi audacia se adeo abstinuit, ut qvi sub magni hujus viri nomine prodierint ac circumferantur libri, si philosophorum ambagibus scatent, pro spuriis merito habeantur. Sterilem et inanem cognitionem existimavit, qvæ eadem arti medicæ non proxime inserviret, qvæve salubrium et insalubrium intelligentiam augere non posset; cetera qværere medico non magis qvam pictori necessarium esse, judicavit. Mirum igitur non est, si in plurimis, qvæ ad naturæ studium attinent, oppido a *Platone* dissentit, qvi *Socratem* maxime secutus, anatomiam neglexit **). Hanc viam *Hippocrates* calcans pri-

*) Lib. 26. c. 2.

**) *Pythagorei*, *Platonici* et *Stoici* anatomiæ studium fere aversati videntur; ex *Peripateticis* contra multi fuerunt anatomiæ studiosi. *Plato* hanc opinionem

primus aliqvod medicinæ *dogmaticæ* fundamentum jecit, non qvidem omnibus numeris absolutum, sed qvale posteritatis applausu et gratia exceptum ad imitationem vocet. Ultra progredi immortali huic viro non licuit. Scilicet anatomiæ, physiologiæ, pathologiæ ac chemiæ progressus et velut explicatio tardior, medendi artem, qva is uti potuit, angustioribus finibus circumscripsit. Chirurgia illius ævi, in primis ob nondum detectam arteriarum sive compressionem sive ligaturam, levifida fuit, ob tam freqventem ac necessarium ferri candentis usum crudelis.

"Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes."

Ovid. *).

Artem obstetriciam *Hippocrates* propria manu non exercuit. Inde varii errores in medicinam forensem postea irrepserunt. *Democriti* opinionem de fortuito atomorum concursu, qvam *Methodicorum* secta serius amplexa est, *Hippocrates* qvidem rejecit, in cujus locum, duce *Empedocle*, substituit terram, aqvam, aërem et ignem, tanqvam prima omnium rerum elementa. E his elementis mutuo confusis is omnia, qvæ oriuntur et occidunt, nasci aliqve contendit. Hæc doctrina, veritatem simulans, et per multa secula dominans, Physices et Chemiæ insigni progressu demum concussa est.

Divinum hunc virum, cujus nomen ultima medicorum ætas tanqvam sacrum venerabitur, maxime commendant singularis cura et animus providus, qvibus virtutibus cognitionem historicam de multis morbis egregie juvit,

nionem fovisse videtur, ut via, qvam cibus et potus ad intestina permeat, in duos canales divisa sit, ceu ut cibus per æsophagum in stomachum deferatur, potus vero roris ad instar per asperam arteriam in pulmones defluat, ut horum organorum calorem temperet. Cui singula anatomiæ capita perspicere lubet, qvalia ab *Hippocrate* tradita sunt, is adeat illustr. D. *Clericum*, qvi de hoc argumento optime disseruit. (Hist. de la Medicine).

*) de remed. am. L. I. v. 228.

vit, Clinicen ad id fastigii evexit, ut posteritas eo præcipue duce didicerit, qvantum ipsa Natura, sive sibi relicta, sive artis, qvales tunc fuit, subsidio adjuta, ad morbos qvam plurimos vincendos vi sua valeat. Sic exemplo viam monstrante, artem experientia fecit.

Cum medicina *Hippocratica* proclivitas medicorum ad præsagia de morborum exitu pullulare coepit. Hinc mirum non est, si jam *Herophilum*, *Praxagoræ* discipulum (Gallorum ad instar, qvi *Beotiis* victoriam præsagirent) futura præsentientem, o *Plinio* medicinæ vatem, fatiloqvum, nuncupatum invenias *), Neqve magis prodigii loco habendum est, si idem præsagiendi pruritus effecit, ut ob eventum, durante duello plerumqve dubium, non artem tantum professi, male audiverunt, sed etiam ipsa medendi ars Momos ubiqve et Zoilos, Satyricos et Obtrectatores posthac sustinere coacta fuit.

De *Hippocratis* medicina et meritis hæc sufficiant. Mitto dicere de *Hippocratis* filiis, *Thessalo* et *Dracone*, genero *Polybo*, utrisqve discipulis *Dexippo*, *Appollonio*, iisqve qvi hos proxime secuti sunt. Hi qvidem omnes magni viri fuerunt, magnumqve nomen sunt consecuti, sed artis faciem, qvoad novimus, non adeo mutarunt, qvorumqve scripta maxima ex parte perierunt, Pauca tantum dicenda sunt de *Aristotele*, *Erasistrato* et *Herophilo*, qvamvis neqve horum scripta, qvatenus ad medicinam proxime pertineant, ætatem tulerunt.

Aristoteles natus est Stagiræ, anno 1mo Olympiadis 99mæ. Patrem habuit *Nicomachum*, ex genere Asclepiadarum, Archiatri munere in aula

 Amyn-

*) Conf. Qvæst. med. paris. fasc. secund. p. 258. "Qvo præstantior", inqvit auctor, "in praxi medicus eo et vaticinii genio magis præditus." Idem fere *Cicero* de virtute militari: "ingenii ait", est, præcipere cogitatione futura, et aliqvanto ante constituere, qvid accidere posit in utramqve partem, et qvid agendum sit, cum qvid evenerit: nec committere, ut aliqvando dicendum sit, non putaram. (de offic. Lib. I. p. 54.)

Amynthæ II, Macedonum Regis functus. *Hippocrates* qvidem ad 27mum *Aristotelis* annum vixit, neqve tamen hic campum, in qvo pater inclaruerat, ingredi voluit, sed 17 annos natus ad *Platonem* philosophum audiendum Athenas profectus est, ubi per integros 20 annos philosophiæ operam sedulo dedit. Qvadraginta ætatis anni jam effluxerant, cum *Philippus*, Macedonum Rex, sui filii *Alexandri* decimum qvartum annum agentis educationi eum præfecit. Cum hoc principe eximiæ indolis et jam puerilibus annis indomiti vigoris *Aristoteles* octo annos vixit, et ab aulæ moribus ac deliciis remotus, *Democriti* vestigia premens, rerum præcipue naturalium historiam in secessu diligenter excoluit. Utinam ab *Aristotele* inter hos labores circa anatomiam observata, in commentarios relata, et depictis figuris illustrastrata *) posteritas possideret; nam fieri non potuit, qvin summus ille vir, ipse studio ardens, qvæ *Alexandri* magni potentia ac opes fuerunt, mirifice sublevatus, et instructissima bibliotheca auctus **), ad hujus disciplinæ incrementum multum contulerit ***). "Coepit ille pulcherrime", inqvit *Borrichius*

*) Casp. *Hoffmanni* inst. med. L. II. c. 22.

**) *Strabo* (Geograph. libr. XIII. p. 608.) commemorat, *Aristotelem* ex omnibus, qvi sibi innotuerunt, primum fuisse, qvi bibliothecam collegerit, ab eo edoctos AEgypti Reges idem fecisse.

***) Aliqvot millia hominum, ut refert *Plinius* (Hist. mund. L. VIII. c. XVI.) in totius Asiæ Græciæqve tractu ab *Alexandro magno* jussa sunt *Aristoteli* parere, omnium qvos venatus, aucupia, piscatusqve alebant; qvibus venaria, armenta, alvearia, piscinæ, avaria in cura erant, ne qvid usqvam gentium ignoraretur. *Galenus* illum optimis anatomicis adnumerat, et cum *Herophilo* comparat (Introduct. C. 1.). Omne studium, qvod *Aristoteles* in rerum natura (Zootomia in primis) collocavit, eo maxime spectavit, ut ex comparatione hominis cum inferioribus animalibus, doctrina de natura humana lucidior et certior evaderet. Qvam eximium hoc conamen fuerit, id satis patet ex uberiori fructu, qvem arti medicæ

richius *), "fregit ignorantiæ glaciem, multa et præclara conatus in emolumentum posteritatis, cujus industriam si passibus æqvis secuta fuissent bellatoria illa superiorum temporum secula; jam naturam rerum apertiorem experiremur." Multa tamen posteritati exploranda reliqvit. Evidentibus enim argumentis magnoqve exemplorum apparatu Cel. *Gassendus*, se docuisse credidit: in scriptis *Aristotelis*, qvæ inedia temporis nobis servavit, "innumera deficere, innumera superfluere, innumera fallere, innumera secum pugnare" **). Idem et alii ostendere conati sunt, inter qvos *Borrichius* in docto suo tractatu de sectione leonis, aqvilæ et crocodili ***). At cave, ne horum Cel. virorum de hac re judicio nimiam fidem tribuas. Ratio enim ævi, qvo vixit *Aristoteles*, eum in scribendo multum coercuit, qvod in primis e testimonio in *Freinsenii* supplementis manifestum ****). "Qveritu", inqvit, "*Alexander*, *Aristotelem* dignitatem earum (sublimiorum desciplinarum), evulgatis præceptis profanasse, et ille excusavit, rescribens, ita libros illos esse editos, ut haberi possent pro ineditis, nec enim qvemqvam sententiam ipsorum magnopere percepturum esse, nisi qvæ iis continerentur, jam

medicæ anatomia, nunc comparativa dicta, postea attulit. Legum analyticarum memor fuit philosophus, recte distingvens, cuilibet animali propria ab iis, qvæ omnibus animalibus, imo qvæ plantis communia.

*) De medic. *Hermetis* p. 236.

**) Exerc. paradox. adversus *Aristotelem*.

***) *Hermet.* et AEgypt. sap. l. I. p. 244. Cl. *Schulze* (Hist. Anatom. p. 462. et seqv.) varios errores ex scriptis *Aristotelis* circa anatomiam corporis humani elegit. Hujus generis sunt: occiput omnino vacuum esse: in mulieribus calvariam unam habere suturam circularem: in viris tres adesse, qvæ plerumqve in unum coeant; cerebrum nullas intrare venas, qvare hoc organon frigidissimum: costas utrinqve esse octo: cordi tres ventriculos esse: hepar supra diaphragma positum, etc.

****) *Qvinti Curtii Rufi* de rebus gestis Alexandri magni. Berlin 1746. Libr. I. C. III. p. 13.

jam antea didiciſſet" *). Accedit, qvod ſcripta *Ariſtotelis* ultra ſeculum in ſcrobe delituerint, unde protracta et a vermibus corroſa, fere putrefacta, Arabum curæ præcipue debemus, qvalia a tineis et vermibus paſta, culpa et mendis librariorum violata, inſuper obſcuriora ab ipſo auctore relicta, non tantum ut indignationem *Alexandri*, verum etiam odium ſacerdotum, effugeret, necdum integra reſtituta, qvalia ipſa auctor relinqvere potuit, posſidemus, vel posſidere poſſumus **).

Præterea non ſunt a Medicis prorſus aliena, qvæ *Ariſtoteles* in ſuis metaphyſicis et phyſicis ſcriptis habet. Etenim *Laertius* ſatis declarat ***) eum docuiſſe: omnia corpora conſtare ex immutabilibus ſive elementis, qvæ, ducem *Hippocratem* ſeqvens, qvatuor eſſe ſtatuit, aërem nempe, ignem, aqvam et terram: qvatuor inſuper eſſe qvalitates cardinales ſive radicales, calidum ſcilicet, frigidum, humidum et ſiccum; calidum cum humido convenire, etiam cum ſicco, minime vero cum frigido: elementa qvatuor cum qvatuor qvalitatibus combinari: qvalitatem eſſe id, per qvod res qvæqve talis eſſet, qvalis eſſet: qvicqvid nunc compoſitum eſſet, id qvatuor elementorum et qvatuor qvalitatum combinatione componi: eſſe qvoqve in unaqvaqve qvalitate qvatuor varios gradus et ſ. p. Etſi *Ariſtoteles* medicis jure adſcribi neqvit, hæc tamen illius doctrina, ut ex ſeqventibus patebit, artem medicam ſerius, maxime poſt *Galeni* tempora, velut Phalaridis tyrannide indigne coercuit, artisqve progreſſui per plura ſecula valde obſtitit.

Præ-

*) Script. metaphyſ. et phyſic.

**) *Fuhrmanns* Handbuch der clasſiſchen Literatur 1808. Certum eſt hoc unum: *Ariſtoteli* nihil veritate majus. Hic *Platonis* diſcipulus, qvi a ſuo magiſtro ſæpe diſſentit, ſuam ſentiendi libertatem tuebatur adverſus criminantes, hoc non minus acuto qvam vere dicto: Amicus *Plato*, ſed magis amica veritas!

***) Hiſt. philoſoph.

Prætereundum deniqve non est, *Aristotelem*, qvamvis pro principe pharmacopolarum a qvibusdam habitum, pharmacevticæ tamen artis incrementum, qvantum comperire potui, parum juvisse *). Etsi qvid et qvantum tantus vir, qvantus *Aristoteles* fuit, in medicina qvoqve præstitit, nunc pluribus de causis maxime lateat, ejus nomen tamen vel in medicina tam a philosophis qvam a historicis magni habitum, certe honorifice expressum, apud posteros tanto pluris habendum est, etiam a medicam artem excolentibus non minoris habendum; qvanto exploratius sit, eum omnium philosophorum primum de methaphysica, sive de primis principiis et horum nexu indissolubili cogitasse, omnesqve tum cognitas philosophiæ partes in formam systematis compegisse. Eundem constat in universam naturam tanti animi

vires

*) Scriptores antiqvi non desunt, qvi *Aristotelem* pharmacopolam fuisse tradunt. *Ælianus* (de Var. hist. L. V. c. IX.): *Aristoteles*, inqvit, abliguritis omnibus pecuniis, qvæ ex hæreditate parentis ad ipsum devenerant, in militiam profectus est; deinde cum sinistre malisqve avibus hoc ei procederet, pharmacopolam egit. *Diogenes Laërtius* (Libr. V.), ferunt, *Lyconem* dixisse: *Aristotelem* in pelvi calentis olei lavari solitum, oleum postea venundare. His consonat *Borrichius* (de med. hermet. p. 239.) Impius *Aristoteles* in cives, qvibus ad vitæ necessaria oleum vendidisse traditur, postqvam in eo strigmenta corporis sui deposuisset. At, noster *Risbrigius* nunc divus (D. *Laertses* filos. Hist. B. I. p. 198.): Nogle sige, at *Aristotel* var Pharmacopola, tillavede og solgde Medicamenter. Man fortæller, at der fandtes efter ham en Mængde Digler, og at *Lycon* siger, han brugde Bad af varm Olie, og solgde siden Olien. Ille idem monet, *Lyconem* has nugas de oleo narrantem esse hominem malignum (ibidem Vol. II, p. 187.). Ex testimonio *Epicuri Aristoteles*, egestate coactus, pharmacopola prius fuit, qvam *Platonis* scholam adiit, seu ante annum ætatis decimum septimum, qvare nulla subest causa, cur ab illo tam juvene aliqvid magnum in hac arte præstitum existimemus (conf. *Borrich.* l. l. p. 242).

vires intendiſſe, qvin in Ethica ſe medicum adeo probaſſe, ut hujus univerſi vim in animos humanos edoctus, virtutem in moderamine affectuum collocaret, neqve, qvod poſtea tanqvam rectius placuit, ſapientem humanam naturam exuere juberet, et qvicqvid cognitionis humanæ experientiæ debetur, tanqvam infra mentis ſublimitatem a philoſophia removeret. Qvo tanto munere hic antiqvitatis philoſophorum princeps ipſos medicos per totam poſteritatem adeo devinctos tenet, ut illius nomen neqve in medicina emori posſit.

Brevi poſt *Ariſtotelem* tempore, Olympiade circiter 120 ma, *Eraſiſtratus* et *Herophilus*, ambo natione Græci Alexandriæ floruerunt, qvorum ille *Chryſippi* diſcipulus fuit; hic *Praxagoram* præceptorem habuit. Munificentia ac patrocinio Regum *Ptolomæorum Lagi* filii et *Philadelphi* adjuti, non animalia ſolum, *Ariſtotelem* ſecuti, inciderunt, ſed etiam humanorum cadaverum, qvæ diſſecare iis licuit, copia abundarunt. Qvin, ſi *Tertulianus* et *Celſus* ſunt teſtes fide digni, omnibus crudele tum viſum non eſt paucorum damnatorum ſuppliciis remedia ſalutis hominum per multa ſecula qværi *). Horum

*) *Tertulianus* (libro de anima c. X. p. 266. Edit. Transqv.) merito hanc ob rem *Herophilum* acerbius inſectatur. "*Herophilus* ille medicus, ait, an lanius, qvi ſexcentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur, qvi hominem odit, ut noſſet, neſcio an omnia interna ejus liqvido explorarit, ipſa morte mutante qvæ vixerant, et morte non ſimplici, ſed ipſa inter artificia exſectionis. *Celſus* (Libr. I. de Med. in Præfat. p. 7. et ſeqv.) eandem rem rationibus impugnat et propugnat: longe optimum, inqvit, feciſſe *Herophilum* et *Eraſiſtratum*, qvi nocentes homines a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, conſiderarintqve etiamnum ſpiritu remanente ea, qvæ natura ante clauſiſſet, eorumqve poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, lævorem, anfractum, proceſſus deinde ſingulorum et receſſus, ſive qvid inſeritur alteri, ſive qvid partem alterius in ſe recipit." Et paulo poſt: (pag. 11.). "Id

rum virorum ſcripta proh dolor! interierunt. Dubitari neqvit, qvin ea ſervata artis progreſſum multum juviſſent et acceleraſſent. Tenemur nunc acqvieſcere iis, qvæ de horum inventis antiqvi ſcriptores, et in primis *Galenus*, in viros magnos qvamvis invidia ſæpe iniqvus, parce admodum impertiunt. Compertum habemus nevrologiæ ſtudium utriqve commune fuiſſe, cui diſciplinæ ad illorum ætatem valde confuſæ hi præclaris inventis lumen accenderunt. Sic ſtupentes cognoſcimus nervos ſenſorios a motui voluntario ſervientibus jam ſedulo a his viris eſſe diſtinctos. Eodem tempore variis corporis organis nomina impoſita ſunt, qvæ poſterior ætas inter artis vocabula retinuit, duodenum ex. gr., tunica arachnoidea, choroidea, retina, calamus ſcriptorius, torcular etiamnum *Herophili* dictum. *Eraſiſtratus* capellarum meſenterium contemplans, vidit initio vaſa velut aëre impleta, paulo poſt lacte (chylo) repleri. Is igitur a ſyſtematis lactei inventione, qvæ multis poſt ſeculis *Bartholinum* noſtrum et *Rudebeckium* immortalitati commendavit, non multum abfuit. Qvam accuratam idem *Eraſiſtratus* de cordis vaſorumqve valvulis cognitionem habuit, ex *Galeno* dilucide monſtravit Cel. *Le Clerc* *), neqve ſolertis hujus medici acumen effugit, falſa illa *Platonis* opinio de potus

"Id vero qvod reſtat, etiam crudele, vivorum hominum alvum atqve præcordia incidi, et ſalutis humanæ præſidem artem, non ſolum peſtem alicui, ſed hanc etiam atrociſſimam inferre: cum præſertim ex his, qvæ tanta violentia qværantur, alia non poſſint omnino cognoſci, alia poſſint etiam ſine ſcelere. Itaqve conſeqvi medicum, ut hominem crudeliter jugulet, non ut ſciat, qvalia vivi viſcera habeamus. Si qvid tamen ſit, qvod adhuc ſpirante homine conſpectui ſubjiciatur: id ſæpe caſum offerre curantibus. Atqve ita ſedem, poſitum, ſimiliaqve cognoſcere prudentem medicum non cædem, ſed ſanitatem molientem, idqve per miſericordiam diſcere, qvod alii dira crudelitate cognoverint."

*) Hiſt. med. P. II. Lib. I. cap. III.

tus ingreſſu ſub deglutitione per aſperam arteriam in pulmones (pag. 18.) qvam opinionem refutavit et meliora docuit. Neqve magis dubito, qvin *Herophilus* cognitam habuerit circulationem ſangvinis, nunc minorem dictam, vel qvoad mutationem coloris, qvam ab aëre hauſto vitalis hic liqvor in pulmonibus ſubit. Illud indicant propria illa, qvibus vaſa pulmonum ſignavit nomina, *venæ* nimirum *arterioſæ* et *arteriæ venoſæ*. Ex his ſatis intelligi poteſt, divinus ille ardor, qvo immortales hi duumviri cognitionem corporis humani excoluerunt et auxerunt.

Multa ſine dubio egregia tam obſervata qvam excogitata una cum illorum ſcriptis interierunt. E horum fragmentis qvæ fortuna nobis ſervavit, nonnulla poſtea non intellecta videntur, alia male explicata. Certe non capimus, qva ratione ductus *Eraſiſtratus*, qvi *viva* animalia diſſecuit, arterias (id qvod *Galenus* de eo primus contendit) ſangvine *vacuas*, contra ſpiritu ſeu pnevmate impletas eſſe ſtatuit, qvare ut venas ſangvini, ita arterias aëri vehendo deſtinatas eſſe. *Hartmannus* Cel. *) ut hoc paradoxum explicet ex *Rufo Epheſio*, *A. Gellio*, *Polluce*, *Theophilo*, *Oribaſio* aliisqve monſtravit, *Galenum* male de hac re cum *Eraſiſtrato* convitiari, et hujus verbis falſam mentem obtrudere. Spiritus nempe, ſeu *ſangvis* (ſecundum excellentiam) *ſpirituoſus Eraſiſtrato* idem fuiſſe videtur, qvod ſangvis, qvem nunc oxydatum, ſeu aëre inſpirato renovatum, dicimus, *ſangvis* vero *proprie dictus* idem qvod nobis ſangvis venoſus (ſpiritu ſeu principio oxygenio orbatus, hydrogenio et carbonico ſcatens). Sic de mente Phyſiologi noſtri ævi cum *Eraſiſtrato* conſentiunt, verbis diſcrepant. Is illum ſic dictum ſpiritum (noſtrum oxygenium) ex aëre a pulmonibus exceptum, in ventriculum cordis ſiniſtrum cum ſangvine penetrare credidit; venas ſangvine proprie dicto, plenas, a ventriculo cordis dextro (qvi idem ob hanc cauſam ventriculus ſangvineus dicitur) prodire; arterias vero ſangvinem ſpiritu vitali ſeu oxygenio

nuptum

*) De originibus anat. exercitat. p. 77.

nuptum continentes a ventriculo cordis ſiniſtro (qvem idcirco ventriculum ſpirituoſum appellavit) oriri, hocce demum ſangvine ſpirituoſo, qvod eo animal alitur, totum corpus indigere ſtatuit. Sic jam 300 prope annos ante æram Chriſtianam *Eraſiſtratus* rem fere tenuit, qvalis noſtro ſeculo cognoſcitur, ſed lingva Chemica nondum perfecta prohibuit, qvo minus ſatis clare ſuam rei intelligentiam exprimere potuiſſet.

Iisdem temporibus ipſa medendi ars in duas partes diviſa eſt, aliis rationalem artem, eamqve ſub duplici forma, eaqve diverſa, aliis uſum tantum ſibi vindicantibus. Ex hac artis diviſione variæ medentium ſectæ ortæ ſunt, nimirum *rationalis*, *methodica* et *empirica*, qvarum altera alteram depravate ratiocinandi ac præpoſtere medicandi velut ream agebat. Secta *rationalis* proprie dicta, altiora agitans et conans, univerſæ rerum naturæ cognitionem ſibi vindicavit, tanqvam ſine ea trunca et debilis medicina eſſet, qvare etiam cauſarum abditarum et morbos efficientium, deinde evidentium et expoſitorum, poſthac etiam naturalium actionum, novisſimo partium interiorum cognitionem meditando qvæſivit; *methodica* arctiores limites eidem doctrinæ poſuit, contendens cauſæ cognitionem eſſe rem a morbi curatione prorſus alienam, ſatis eſſe, ſi medicus ad qvædam morborum communia animum adverteret; *empirica* demum cui anatomia corporis humani foeda viſa eſt, obſervatu tantum et cognitu facillima in ſenſus incurrentia, patentia, nec ultra vulgaria proſpiciens, rationalem illam diſciplinam jusſit exulare a medicina, qvippe qvæ uſu ſolo et experimentis niteretur. In hoc partium pugnantium ardore variæ hypotheſes in medicinam ſenſim irrepſerunt, qvæ artis ſinceritatem, puritatem et ſimplicitatem, per aliqvod temporis ſpatium ſervatam, obumbrarunt magis qvam illuſtrarunt. Qvo magis elucere posſit, qvæ tum temporis fuit hujus artis facies, *Celſum* de ea re loqventem faciam. "Qvia". inqvit, "qvam maxime pertinere ad rem concoctio videtur, huic medici rationales potisſimum inſiſtunt, et duce alii *Eraſiſtrato* atteri cibum in ventre contendunt, alii *Pliſtonico*, *Praxagoræ* diſcipulo, putreſcere; alii credunt

Hippocrati, per calorem cibos concoqvi. Accedunt *Asclepiadis* æmuli, qvi omnia ista vana et supervacua esse proponunt. Nihil enim concoqvi sed crudam materiam, sicut assumta est, in corpus omne diduci. Et hæc qvidem inter eos parum constant. Illud vero convenit, alium dandum cibum laborantibus, si hoc, alium si illud verum est. Nam si teritur intus, eum qværendum esse, qvi facillime teri possit. Si putrescit, eum in qvo hoc expeditissimum est. Si calor concoqvit, eum qvi maxime calorem foveat. At nihil ex his esse qværendum, si nihil concoqvitur; ea vero sumenda, qvæ maxime manent, qvalia assumta sunt *). Contra hi, qvi empiricos se nominant, (vulneraria speculatione (κατὰ περιπτωσιν) contenti,) evidentes qvidem causas, ut necessarias, amplectuntur: obscurarum vero causarum et naturalium actionum qvæstionem ideo supervacuam esse contendunt, qvoniam *incomprehensibilis* Natura sit. Non posse vero comprehendi patere ex eorum, qvi de his disputarunt discordia: cum de ista re neqve inter sapientiæ professores, neqve inter ipsos medicos conveniat. Cur enim potius aliqvis *Hippocrati* credat, qvam *Herophilo*? Cur huic potius qvam *Asclepiadi*? Si rationes seqvi velit, omnium posse videri non improbabiles: si curationes, ab omnibus his ægros perductos esse ad sanitatem. Itaqve neqve disputationi, neqve autoritati cujusqvam fidem derogari oportuisse. Etiam sapientiæ studiosos maximos medicos esse, si ratiocinio hos faceret: nunc illis verba superesse, deesse medendi scientiam" **). Sic incertam medicinæ rationem, qvam *Asclepiadæ* olim de studio celabant, medicorum discordiæ patefecerunt et divulgarunt. Omnes, qvæ ad medendi artem pertinent disciplinæ cohærent tanqvam catenæ annuli, qvorum ultimum remediorum administratio efficit. Qvid, si illud *Hippocratis* vere: "experientia fallax, judicium difficile"? Qvid, si ex empiricorum sententia ipsa rerum natura, certe cum ad prin-

*) l. l. p. 6.

**) p. 8.

principia descendis, incomprehensibilis, vel, ut priscorum multi censuerunt, veritas in profundo? Cave ne illis ob confesſionem tam ingenuam judicio tuo præcipiti injuriam facias! Naturæ vires occultæ, ac stupenda opera, per seculorum decursum mortalibus patent: ad illas extricandas, ad hæc percognoscenda et intelligenda, multa cura, indefesso studio, seculorum vigiliis et lucubrationibus opus est. Est etiam medicina temporum filia! Nondum perspicimus, et plene intelligimus sive corporis humani structuram sive eas, qvæ inde pendent, functiones. Qvid mirum, si illi ævo non concessum fuit, catenam illam medicinalem implere, qvod, ut rem libere dicam, ne nostra qvidem ætas asseqvi valet? Inde est, qvod qvivis arte non sat firma nimis fretus, nescio qvid magnum polliceatur, vel se effecturum glorietur, et victoria nondum reportata velut triumphans, sive se ipsum facile fallat, sive alios spe auxilii facile frustretur. Contra qvi plus a medico postulat, qvam in hujus arte est tum, cum eam exercet, is nimio plus postulare, humanitatem et æqvitatem violare est censendus. Ex utroqve vitio, altero medicorum, altero populorum, ars medica magnum detrimentum omni fere ætate cepit. Nonne imprudentia medicorum, qvorum bene multi dubia tanqvam certa præsagiverunt, tam artem ipsam, qvam docentes et profitentes, derisui ac contemptui exposuit *)? Qvoties ipsius artis imperfectio artem scienter ad justas normas exercentibus ludibrium, vexationem, contraxit, et, qvo nihil crudelius, arte salutari qvamvis nondum perfecta, tamen juvantibus perniciei fecit. Qvid ars valeat, sapiens qværit; qvid medicus, turba!

Ne-

*) *Plin.* lib. 29. C. I. In hac, inqvit, artium sola evenit, ut cuicunqve Medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus. *Idem* alibi: "Discunt periculis nostris et experimenta per mortes agunt." *Juvenal:* Qvot *Themison* ægros autumno occiderit uno! A *Catone* Methodicorum secta sine descrimine homicida dicitur, qvod ea varium remediorum penum invenerit, cum *Cato* omnem salutem in simplicitate collocaret.

Neqve qvæ tum fuerit medicinæ rationalis conditio, qvalicunqve ejus facies fuerit, nisi circumspecto judicio ponderari juste potest. Hujus medicinæ studiosi, si vel nugas et qvisqvilias non raro qvæsiverint, si vel antiqvitatis physiologia dubiis, qvæ nos posteros minus sollicitant, et erroribus, qvos posterior ætas pepulit, plena fuerit, laude tamen digni sunt singuli, qvi naturæ studio operam dederunt non prorsus inanem. Etenim si animo præsumimus, qvamcunqve disqvisitionem altiorem inutilem fore, omni investigandi labore facile supersedemus, et multa forsan relinqvimus, qvorum utilitatem tempus futurum monstrabit. Non ejusdem potestatis initium et finis est. Neqve magis artis profectui consultum est, vel rationi consentaneum, novum inventum despicere ea de causa, qvod ejus usus nondum cognitus fuit. Id æqve fere insulsum, ac de re qvalibet nondum perspecta, sententiam temere pronuntiare. Gloriam sola utilitate metiri non licet. Caveamus tantum, ne novitatis specie decepti, mediis utamur nondum comprobatis, forsan nocivis, horumqve usu periculum ægrotis creemus. Ceteroqvin, ut *Cicero* præclare dixit, "omnes trahimur et ducimur ad cognitionis, et scientiæ cupiditatem: in qva excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, et malum, et turpe ducimus" *). Qvare curiositas vel in iis, qvæ nostram utilitatem minus attingere videantur, neqve omnis præcidenda est, neqve, interdictis nimis severis coercenda, si modo tenemus modum, qvem officii lex præscribit: et necessariis non neglectis huic satisfaciamus. Multa, qvamvis ad ipsam artem non pertinentia, eam tamen adjuvant, qvippe qvibus artificis ingenium excitatur, nutritur, et roboratur. "Profecto", inqvit *Celsus*, "verisimile est, et *Hippocratem* et *Erasistratum*, et qvicunqve alii, non contenti febres et ulcera agitare, rerum qvoqve naturam ex aliqva parte scrutati sunt, non ideo qvidem medicos fuisse, verum ideo qvoqve majores medicos extitisse" **).

Post-

*) de offic. L. I. p. 16.

**) de Medicina p. 13.

Poſtqvam illi duumviri eſſe deſierunt, empiricorum ſecta, ducibus in primis *Philonio*, *Herophili* diſcipulo, et *Serapione* caput extollere coepit. Hæc ſecta naturam, ut ex *Celſo* nuper monui, incomprehenſibilem judicans, non modo indicationes ſic dictas curativas, utpote principiis pathologicis innixas parvi fecit, ſed etiam, qvod maxime dolendum, anatomiam et phyſiologiam prorſus neglexit. Adeo torpuerunt hæ diſciplinæ, ut mihi licuerit ab hac ætate ad *Galeni* usqve tempora (qvod intervallum 450 annos ſuperat) paucos invenire, qvorum nomen cum honorifica commemoratione ad poſteros pervenit. Empiricorum ſectæ tamen laudi fuit in morbis dijudicandis non autopſia ſolum et analogia, ſed ſi hæ nimus ſufficerent, epilogismo (eſto venia verbo) velut obſervationis adminiculo uti, qvo certius ad interiorem morborum cognitionem perveniri poſſet. Illarum diſciplinarum neglectui maxime adſcribendum eſt, hanc ſectam, exiſtimatione ceteroqvin dignam, contemptam poſtea fuiſſe, eoqve gradu, ut vel noſtro tempore artem *empirice* exercere, tanqvam opprobrium in proverbium abierit, etſi eandem viam ingresſi *Sydenham*, *Stolle* aliiqve multo ſerius, poſt reſtauratum anatomiæ ſtudium, eximiam laudem ex ea denuo reportarint. Empiricorum ſecta præter anatomiæ neglectum a veterum tramite ſimul deflexit, cum non ut priſci fecerunt, *victus* in primis rationem habuit, ſed potius *medicamentis* morbos depellere ſtuduit, atqve nova hac medendi methodo adeo ſuperbiit, ut vel ipſum *Hippocratem*, ejusqve ſectatores infeſto ore laceraret. His accedit, qvod mors Regis *Ptolomæi Philadelphi* (Anno 247. A. C. N.) medicos ultimo artis genio tutelari orbaret, qvo factum eſt, ut hi, *Democriti* apud Abderitas degentis fatum experti, opprobriis populi fanatici fuerint perpetuo expoſiti. Qvæ cauſæ conjunctæ effecerunt, ut omnis ardor naturæ ſtudii exſtingveretur, atqve ars ipſa, ut muta et ſola experimentalis priſtinam dignitatem amitteret. Prætereundum tamen non eſt, empiricos, dum morbos medicamentis vincere conabantur, id effeciſſe, ut materia medica, toxologia maxime, amplificata et experimentis tam illuſtrata qvam aucta ſit.

E hac medicorum familia digni ſunt, qvi nominentur *Heraclides Tarentinus*, *Zopyrus* et *Nicander*; qvibus accedit *Attalus tertius* ultimus Pergamorum Rex et *Mithridates Eupator*, qvorum uterqve metuens, ne veneno ipſe interimeretur, in ſe aliosqve multa experimenta egit, variis venenis ac antidotis ad hæc capienda utens. Hiſce viris præcipue debetur fructus, qvem ars hoc tempore cepit: nimirum jam inde ab hoc tempore variorum ſic dictorum Alexapharmacorum uſus. Hæc de Græcorum medicina ſufficiant. Ad Romanos progredi lex ordinis præſcribit.

Qvemadmodum Græci ab Ægyptiis artem medicam adepti ſunt, ita a Græcis Romani eandem acceperunt, parum tamen de illius progreſſu, ſolliciti, earumqve artem medicam ante *Julium Cæſarem* et *Auguſtum* minime curantes vel potius contemnentes. "Populo Romano", ut *Salluſtii* verba mea faciam, "prudentisſimus qvisqve negotioſus maxime erat. Ingenium nemo ſine corpore exercebat. Optimus qvisqve facere qvam dicere, ſua ab aliis benefacta laudare, qvam ipſe aliorum narrare malebat — duabus his artibus audacia in bello, ubi pax evenerat, æqvitate ſeqve remqve publicam curabant" *). Ingenium rude et audax ad bene faciendum minus valet qvam diſciplina cultum et roboratum. A diverticulo ad viam. De juventute in arte medica erudienda Romani non magnopere laborarunt, qvam contra Græcis hanc artem docentibus tradiderunt. Medici Romæ ſervi ac libertini fuerunt, donec *Julius Cæſar* (anno circiter 52 A. C. N.) iis civitatem dedit, idqve faciens artem evexit, et ingenuo cive dignam cenſuit. Neqve me pigebit in hunc locum transferre *Ciceronis* de medicina judicium, qvod ſignificat his verbis: qvibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas qværitur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, qvorum ordini conveniunt, honeſtæ **). Sub *Au-*

guſto

*) Bellum Catilinarum C. IX.

**) de officiis p. 49.

gusto nova rerum facies prodiit Hujus ingenium, uti erat politisſimum et optimis artibus jam inde a puero imbutum, ita neqve callidisſimi principis ſagaciam effugit, ſe maxime honeſtari, cum in præcipuo honore haberet eos, qvi ingenio literis et bonis artibus excellerent, hoc incitamentum, uti ad ceteras ingenuas artes provehendas, ita ad medicinam ſublevandam ac juvandam, potentisſimum ratus. Ut ſors artis medicæ apud Romanos hoc temporis decurſu ſatis intelligi posſit, ad primos Græcos advenas Medicinam Romæ facientes eſt redeundum. *Archagatus*, primus omnium, (anno 219 A. C. N.) Romam advenit, ut qvæſtum in medicina faceret, ubi jure civitatis donatus, officinam in Compito Acilio a ſenatu impetravit. Ille idem brevi poſt, qvod in ægrotos ſecando et urendo ſeviit, tanqvam carnifex in odium incurrens, tam artem qvam Græcos medicos maximæ contumeliæ expoſuit. M. *Porcius Cato*, Cenſor, qvi inter 234 et 149 annum A. C. N. vixit, primus inter Romanos librum de medicina ſcripſiſſe dicitur. Is medicis græcis infenſus, medicinam ipſe exercuit ad normam libri, qvi agit de formulis medicamentorum *). Medendi ars, qvam tenuit, credulitate et ſuperſtitione plena parum digna eſt, qvæ memoretur, niſi tantus vir ad hanc confugiſſet. Is tanqvam *Pythagoreus* Brasſicam, erraticam in primis, pro remedio univerſali ſeu Panacea habuit, in plurimis ſaltem morbis laudibus eximiis extollit **). Cantationibus luxationes osſium reponi poſſe credidit ***). "Luxum, ſi qvod eſt", inqvit, "hac cantione ſanum fiet. Harundinem prende tibi viridem P. IV, aut V longam. Mediam diffinde, et duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare, *in alio*. *S. F. Motas Væta*

*) Commentatio, qvo medetur filio, ſervis, familiaribus.

**) Scriptores rei ruſticæ veteres latini Edit., Bopontin 1787 pag. 73. et ſeqv. §. CLVI, CLVIII.

***) ibidem pag. 80. §. CLX.

Væta Daries Dardaries Astataries Dissunaviter, usqve dum coëant. Ferrum insuper jactato. Ubi coierint, et altera alteram tetigerit; id manu prende et dextra sinistra præcide. Ad luxum aut ad fracturam alliga, sanum fiet. Et tamen qvotidie cantato in alio S. F. vel luxato. Vel hoc modo, *Huat Hanat. Huat Ista Pista Sista, Domiabo Damnaustra*, et luxato. Vel hoc modo, *Huat Haut Haut Ista Sis Tar Sis Ardannabon Dunnaustra. Asclepiades*, centum annos A. C. N. Romam venit, *Lucino Crasso* et *Ciceroni* familiaris fuit. Hic eloqventiæ armis instructus ex parte *Democriti*, maxime *Epicuri* sectæ addictus, Divi *Hippocratis* doctrinam tanqvam *mortis* studium damnavit, atqve fundamentum sectæ *Methodicorum*, qvam *Themison* postea exstruxit, primus jecit. Ille idem anatomiam negligens, multa inania, hypothesibus minus firmis innixa docuit, (conf. p. 28.) atqve sub artis exercitio pharmacis remediis minus qvam diæteticis et gymnasticis fretus, nihil tamen magis in votis habuit, qvam ut tuto, celeriter et jucunde curaret *). *Plinio* si non diffitendum *Asclepiades* etiam velut certam notam boni medici statuit, eum, o utinam! nunqvam ægrotare. Ipse *Asclepiades* casu interiir. "*Asclepiades*", inqvit *Celsus* **), "medicamenta sustulit, alvum non toties, sed fere tamen in omni morbo subduxit. Febre vero ipsa præcipue se ad remedium uti professus est. Convellendas etiam vires ægri putavit, luce; vigilia, siti ingenti, sic ut ne os qvidem primis diebus elui sineret. Qvo magis falluntur, qvi per omnia jucundum ejus disciplinam esse concipiunt. Etenim ulterioribus qvidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit, primis vero tortoris vicem exhibuit." His artis præceptis observatis, et lenioribus qvam *Archagatus* mediis utens, *Asclepiades* arti honorem et fiduciam restituit. *Antonio Musæ*, *Asclepiadis* discipulo posthac (anno sc. 2do A. C. N.) contigit, ut *Augustum imperatorem* balnei frigidi applicatione e faucibus Orci

*) Cels. L. 3. C. 4. p. 117.

**) Lib. 3. C. 4. p. 118.

Orci eriperet, qvi, ut animum gratum teſtificaretur, *Antonium*, ut annulatus incederet, in ordinem eqvitum evexit *) eiqve columnam in templo *Æſculapii* poſuit, ſimulqve omnes medicos Romanos magnificis privilegiis ornavit.

Antonio Muſæ ætate fere æqvalis fuit A. *Cornelius Celſus*, vir eruditione et fama inſignis. Huic medicina ſuum progreſſum magna ex parte debet; is enim qvæcunqve in arte neceſſaria et utilia ei viſa ſunt, ex *Hippocrate*, *Aſclepiade*, *Heraclide Tarentino*, *Eraſiſtrato*, *Diocle Caryſto*, *Herophilo*, *Zenone*, aliisqve Græcorum plurimis, diligenter collegit, et præclaro ingenio præditus tam apte diſpoſuit, ut ars ipſa clarius et facilius percipi poſſet, ejusqve exercitium promtius evaderet. Græcorum nemo artem univerſam coagmentavit, in ſyſtema redegit et corpus integrum conſtituit. Inter eruditos non convenit, num *Celſus* in arte ipſa verſatus fuerit, an ab aliis accepta eleganti ſtilo tantum reddiderit. Sub judice adhuc lis eſt, nec facile dirimi poteſt. Talem, inqvit Cel. *von der Linden* **), opinor *Celſum* fuiſſe medicum, qvalis *Cato* fuit, aut qvales ſunt hodieqve Regum Archiatri. Qvi etſi non omnibus vigilant, miſerabilibus tamen perſonis et ad ſe, ceu *Æſculapium* aliqvem, confugientibus ſuam negare opem non ſuſtinent, ſcientes, nulla re hominem magis accedere ad Deum, qvam ſalutem hominibus dando." Utcunqve res ſit, *Celſi* nomen ſcriptis magis qvam exercitio artis celebritatem conſecutum eſt. Is de omnibus fere populis optime meritus eſt, qvod Græcorum medicinam ad Romanos primum transtulit. Sua ſcripta ad artem diæteticam et Clinicen, earumqve poſteriorem tam medicam qvam chi-

*) Inde ritus annulo aureo publice ornandi medicos, qvi ad ſummos in medicina honores admisſi Doctoris titulo decorantur. Is annulus moribus Romanorum libertatis atqve honoris ſymbolum eſt. Ille nexum omnium diſciplinarum medicarum indiſſolubilem ſignificat. Idem teſſera conſtantiæ in conſilio, labore, diſcrimine.

**) Præf. ad *Celſum*.

rurgicam et obſtetriciam maxime attinent, multasqve remediorum formulas ex *Mantia*, *Bacchio*, *Appolonio* (cui *muris* cognomen) *Glaucia*, *Mithridate*, *Andrea*, *Zopyro*, et fere omnibus nuper nominatis viris petitas, poſteritati tradunt; contra anatomicis, ſi oſteologiam forſan excipias, et phyſiologicis minus nitent; politiæ medicæ et medicinæ forenſis nihil fere continent; verum tamen ex medicina politica nonnihil ſalubre.

Mihi qvidem, ne terminos hujus ſcriptionis evager, licet tantum obiter dicere de rebus memoratu præcipue dignis, qvæ inter *Celſi* et *Galeni* ævum arti medicæ evenerunt. Hoc qvoqve temporis intervallo medicos magni nominis floruiſſe, locupletes ſcriptores perhibent. Qvi ſcholæ *Methodicorum* addicti, etſi qvisqvilias ſæpe qværentes, ſummam imperii tamen diu tenuiſſe videntur. Pauca, qvorum princeps *Marinus*, qvi medio primi ſeculi Romæ vixit, anatomico ſtudio, tum neglecto, denuo magnopere invigilarunt. *Pnevmaticorum* et *Eclecticorum* ſectæ, hoc ævo enatæ, res minus proſpere cesſit, etenim cum ceteris, præcipue pro puriori artis theoria, marte non æqvo pugnarunt. Interea variorum artis remediorum partim magis minusve ſcientibus probatorum; partim inanium et ſuperſtitioſorum uſus invaluit, e qvibus *Andromachi Theriaca* nimiam poſtea fiduciam nacta eſt, et admirationem movit, qvæ vel ad noſtram ætatem usqve duravit. Maxima laus *Anazarbœo Dioſcoridi* debetur, qvod is primus, idemqve ab omni fere theoria medica remotus, materiam medicam, qvalis hæc tum temporis fuit, abſolvit, nec herbarum modo ſed etiam arborum, fructuum, ſuccorum atqve liqvorum meminit, inſuper metallicorum omnium et partium animalium non oblitus eſt, e qvo opere *) poſteritas magnam utilitatem cepit.

Anno 131 Pergami naſcitur *Claudius Galenus*. Is juvenis in variis philoſophorum diſciplinis, totoqve doctrinæ græcæ orbe domi innutritus, Alexandriam aliasqve terrarum partes petiit, ut medicinam excoleret. 28vo æta-

*) *Pedacii Dioſcoridis Anazarbæi* opera omnia 1598. fol.

ætatis anno Pergamum reverſus, ibidem artem feliciter exercuit; qvarto poſt anno Romam ſe contulit, atqve iſtic tam ſcriptis qvam artis exercitio ita deinceps inclaruit, ut omnes ſui temporis medicos ad invidiam ſuperaret. Is nullam fere artis medicæ partem, tum temporis notam, intactam reliqvit. Hominum incidendorum occaſionem ei tempora præciderunt, tamen animalia ipſe demum diſſecuit, qvamvis huic labori antehac manum admovere infra ſe judicaverat *). Plurima tamen, qvæ hujus diſciplinæ ſunt, e ſcriptis *Eraſiſtrati*, *Herophili*, *Marini*, qvorum opera periiſſe eruditi ſuſpicantur, aliorumqve auctorum eum hauſiſſe veroſimile eſt. Ille idem nonnulla anatomicæ corporis cognitioni ſe adjeciſſe contendit, multa tamen ab ipſo ignorari ingenue faſſus. In vivis qvoqve animalibus phyſiologica experimenta vel difficillima fecit. Botanices, etſi minus ſtudioſus plantas tamen recenſet, ſed aliqvanto pauciores qvam *Dioſcorides*, plura tamen animalia, etiam mineras numeroſiores, Pharmaciæ peritus medicamenta manu propria præparavit. Sic exſtincto *Demetrio* Theriacam, ut hoc exemplo utar, in uſum *Auguſti* compoſuit. Chemia nondum inventa fuit, qvam ſibi deeſſe tamen ſenſit. Monſtrant opera, qvæ *Galenus* reliqvit, in morborum deſcriptionibus minus diligentem eum fuiſſe, neqve hiſtorias morborum tam plene et accurate exposſuiſſe qvam olim *Hippocrates*, vel ipſum *Galenum* paulo antecedens *Aretæus* e ſchola Pnevmaticorum. Plurima corporis mala, exceptis tantummodo morbis organicis et morbis a ſoluta unitate natis, aut ad plethoram, aut ad cacochymiam refert. Sangvinis abundantiam recte duplicem facit, nimirum ad vaſa et ad vires. Pulſum ſubtiliter diſtingvit, qvo adminiculo maxime adjutus, in morbis cognoſcendis, eorumqve eventibus prædicendis multum valuit, ac potisſimum, ut ipſe teſtatur, inclaruit. Tam Chirur-

*) vid. I Ad. An. Primum itaqve, ait, famulorum mihi aliqvis ſimias excoriabat, cum videlicet opus id detrectarem, vilius exiſtimans, qvam ut a me adminiſtraretur.

rurgiam qvam medicinam feliciter exercuit, artem vero obstetriciam fere reliqvit. In medicina politica non parum versatus videtur, nam ad ingenia humana suos mores accomodare et suo qvemqve calopodio calcare egregie calluit. Medicinæ scientiam subtilius, non ex usu solum, excolens, ceteros ingenio et facundia vincere studuit; eum tamen non fefellit, morbos non eloqventia, sed sagacia, solertia et remediis profligari et curari. Is non raro eorum ad instar, qvi qvæstui serviunt, secreta jactasse, et, ut auram popularem captaret, longas curatorum tabulas ostendisse dicitur. Medicorum neminem coevum *Galenus* magni fecit, qvare non mirum, si mutuam *Antigoni*, aliorumqve æqvalium invidiam expertus fuerit. A superstitione non prorsus liber, somniis et incantationibus, ætate præcipue ingravescente, multum tribuit. Romæ triennium moratus, qvo tempore pestis grassabatur satius duxit urbem relinqvere qvam manere et miseram vitam degere. Artis universum ambitum *Galenus* tam diligenter elaboravit; qvam nemo ante eum, et post eum admodum pauci. Eximio hoc opere, ut *Boerhavius* aliiqve recte monuerunt, is arti multum et profuit et nocuit. Plurimum gratiæ ei debetur, qvod *Hippocratem* a Methodicis spretum nuperos legere docuit et jussit; hunc tamen sola tantum initia rationis curandi tradidisse, se magis fusa omnium explicatione *Hippocrati* præstare diserte scripsit. *Galenus* insuper plura et efficaciora qvam *Hippocrates*, remedia adhibuit, arteriotomiam in primis, largas venæsectiones, purgantia repetita, qvibus ipse multum tribuit. Hoc omnibus comprobatum est. Ille idem nocuit arti, qvod *Hippocratem* interpretans e placitis philosophiæ peripateticæ artis theoriam maxima ex parte petiit. Statuit enim (verbis *Marrherri* utor) "qvatuor omnium corporum elementa, ignem, aërem, aqvam, terram, ex his constare omnia primitus, et pro varia horum proportione specie inter se differre. Præterea etiam qvalitates qvatuor cardinales creavit, easqve non compositis solum corporibus, sed ipsis etiam elementis indidit. Ita ignem dicebat natura sua esse calidum et siccum, aërem calidum et humidum, aqvam humidam et frigidam,

terram

terram frigidam et ficcam. Porro juxta hæc principia ftatuit in corpore humano adeffe humores primigenios qvatuor, bilem flavam, qvæ refpondeat ignis elemento, calido et ficco; fangvinem aëri fimilem, humido et calido; phlegma aqvæ adfini frigidum et humidum; atram deniqve bilem, frigidam et ficcam, qvalis terra eft. Ex his qvalitatibus humorum inter fe mixtorum, oriri temperamenta, et ex prædominante una alterave qvalitate morbum gigni, aut fi una qvalitas nimium intenderetur; nam et ipfas qvalitates iterum in qvatuor gradus dividit. Ita primus caloris gradus erat, qvi homini naturalis fit, fecundus, qvi febrem excitet, tertius, qvi inflammationem, qvartus, qvi gangrænam et fphacelum produceret. Neqve hoc fatis, fed etiam medicamenta fecundum has qvalitates non folum, fed etiam fecundum gradus earundem diftribuit, ita ut fi morbus fuiffet frigidus in fecundo gradu, huic remedium in fecundo gradu calidum opponere neceffe effet. Qvæ omnia, ut nimis hypothetica, et partim aperte falfa, nudæ veritatis fplendorem obfufcarunt, potius qvam medicinam *Hippocratis* illuftrarunt. En hoc judicium, Cel. *Lindenii* verbis confirmatum. Ex toto, inqvit *Galeni* oceano, fi dicere per invidiam fas eft, non tot interiora medendi confilia qvis hauferit qvam ex ubere *Celfi* rivo. Fateor plus eft in *Galeno* florum, ut et foliorum; fed fructuum plus in *Celfo* eft *)

Hæc de facie medicinæ qvo tempore *Galenus* floruit. Univerfæ medicinæ conditionem hac ætate uno velut confpectu intueri univerfumqve hoc argumentum brevi comprehendere neqve a loco neqve a fufceptis partibus alienum judico. Doctrina de fignis præcipue et de morborum exitu, tantos progreffus jam ceperat, ut ea medicis ducem fe præberet, cui magnam fidem merito tribuebant. Circa diætam ac remediorum effectus multa, non minus certa obfervata fuerunt et experimentis comprobata. Fidem excedit audacia, qvam fibi fumfit chirurgia, præceptis velut præcox; incredibile eft, qvid

*) Præf. ad *Celf.*

qvid manus aufa fuit, qvid inftrumenta non intentatum reliqverunt. Operationes vel difficillimæ jam cognitæ funt ac inftitutæ. Anatomia corporis humani præcipue, nondum per omnes partes exculta, artis falutaris adminiftrationem ambiguam nonnunqvam reddidit, et minus tutam. In Chemia prorfus nulli progreffus facti memoratu digni. Phyfiologia, qvamvis experimentis, qvæ in vivis etiam animalibus inftituta funt, illuftrata demum fit, verumtamen velut in partes concifa, minus profpere expolita fuit, nimis adhuc lubrica et nuditatibus plena. Hinc magnum in primis infortunium arti medicæ pofthac natum. *Galenus* nempe ubertate ingenii excellens, intra limites firmæ ac fat certæ cognitionis non fubfiftens, ut artem dogmaticam conficeret, philofophorum, *Ariftotelis* maxime et *Platonis* commenta de elementis et qvalitatibus, difciplinis medicis ubiqve fere immifcuit, idqve faciens nudam fimplicitatem artis *Hippocraticæ* ita perturbavit, ut inde ab eo tempore opinionibus, affumtionibus, et hypothefibus temere fufceptis, nimis obnoxia fuerit, et errorum in praxi valde fecunda. Hoc artis infortunium eo magis dolendum, cum per tredecim fecula apud totam medicorum cohortem, id qvod pofthac dilucidius fiet, magni illius viri auctoritas tantum valuit, ejusqve eloqventia univerfos medicos adeo perculit, ut non fat haberent fuis ipfius placitis ac decretis acqviefcere, fed e religione ducerent ultra fapere, et e hujus fcriptis doctrinam tantum non omnem, omniaqve confilia tanqvam ex ipfius fapientiæ fonte haurirent. Sic medica ars fuas partes minus diligenter fervans, in fubtilitatum philofophantium et opinionum, qvas magna philofophorum nomina tum fovebant, fervitium iterum ruit. Interea medicina, penfitatis, credo, artis tam beneficæ commodis ac meritis, Romæ plurimi æftimata fuit. Aditus ad Athenæum ibidem medicis æqve patuit ac aliis eruditis, hoc honore dignis. Iidem a *Conftantino magno* in varios ordines divifi, honoribus et privilegiis aucti funt. Horum ordo fupremus titulum *Archiatri palatini*, fecundus *Archiatri popularis* (Phyfici) gerebat; ceteros *Parabolanos*, etiam *Perideutas* appellabant. Ex Archiatris collegium

con-

conſtitutum, qvod rei medicæ præfuit. Qvidam primi ordinis *Comitivæ* honore decorati fuerunt, magnisqve præmiis remunerati *). Sic demum politia medica conſtituta eſt, qvæ prohiberet, qvo minus medici ad munera publica repente aut temere proſilirent, qvæqve omnimodo ſaluti publicæ invigilaret **).

Proximis poſt *Galenum* ſeculis Medicorum non admodum multi cele-

*) Ita hos allocutus eſt Imperator; "Qvapropter a præſenti tempore Comitivæ Archiatrorum honore te decoramus, ut inter ſalutis Magiſtros ſolus habearis eximius, et omnes judicio tuo cedant, qvi ſe ambitu mutuæ contentionis excruciant. Eſto arbiter artis egregiæ, eorumqve diſtingve conflictus, qvos judicare ſolebat affectus. In ipſis ægros, curas, contentiones noxias abſcidis. Magnum munus eſt ſubditos habere prudentes et inter illos honorabilem fieri, qvos reverentur cæteri." Indulge te qvoqve Palatio noſtro, habito fiduciam ingrediendi (vide *Le Clerc* pag. 591.)

**) Qvo magis hujus ſeculi ingenium et mores appareant, non pigebit unam alteramve legem codicis *Juſtinianei* proferre. Hujus codicis libri X titulus 52. de Profeſſoribus et Medicis monſtrat omnium diſciplinarum Philoſophiam minime principum indulgentia dignam viſam, poetas nulla immunitatis prærogativa juvari, Grammaticos (vel) probatos, ſi non ſe utiles ſtudentibus præbeant, reprobari poſſe; Medicos, qvamvis a reprehenſione non prorſus immunes ſunt, lætiorem, ſi extra invidiæ ſuſpicionem audeo dicere, ſortem experiri. De Medicis Imperator *Conſtantinus* ita ſancivit (ſupra laudati tituli 52 l. 6) Medicos et maxime Archiatros vel ex Archiatris, Grammaticos, et Profeſſores alios liberarum et doctores legum una cum uxoribus et filiis, nec uon et rebus, qvas in civitatibus ſuis posſident, ab omni functione, et ab omnibus muneribus vel civilibus, vel publicis immunes eſſe præcipimus. — Mercedes etiam eis et ſalaria reddi jubemus, qvo facilius liberalibus ſtudiis et memoratis artibus multos inſtituant. Lege 7 Imperator *Julianus* ita reſcribit: Magiſtros ſtudiorum doctoresqve excellere oportet moribus primum, deinde facun-

celebritate nominis apud posteros inclaruerunt: Nonnullos historici expiscati sunt. Inter hos primum locum tenent seculo secundo (?) p. C. n. *Cœlius Aurelianus*, tertio *Serenus Sammonicus* *), qvarto *Oribasius* et *Theodorus Priscianus*, sexto *Alexander Trallianus*, septimo *Paulus Aegineta* aliiqve non bene multi. Hujus loci non est in ea, qvæ horum virorum singuli præstiterint, inqvirere, iisqve fuse exponendis immorari. Prætermittere tamen non possum, sectarum omnium studium jam hac epocha deferbuisse, æstumqve refrixisse. *Theodorus* e Methodicorum familia opinionum ac subtilitatum philosophantium jugum præ ceteris sensit, iisqve collum subtrahere adnixus est. "Si medicina", inqvit, "minus eruditi ac rustici homines, natura tantum imbuti, non etiam philosophia occupati essent; levioribus ægritudinum incommodis vexaremur et faciliora remedia caperentur. Sed hæc via

facundia — jubeo, qvisqvis docere vult, non repente nec temere prosiliat ad hoc munus, sed judicio ordinis probatus, decretum curialium mereatur optimorum conspirante consensu. Lege 9. Imperator *Valentinianus* et *Valens* sic rescribunt: Archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis (ministrari) honeste obseqvi tenuioribus malint, qvam turpiter servire divitibus. Qvos etiam ea patimur accipere, qvæ sani offerunt pro obseqviis, non ea qvæ periclitantes pro salute promittunt. Iidem lege 10 ita rescribunt: Si qvis in archiatri defuncti locum est promotionis meritis aggregandus, non ante eorum particeps fiat, qvam primis, qvi in ordine reperientur, septem vel eo amplius judicantibus, idoneus approbetur, ita tamen, ut qvicunqve fuerit admissus, non in priorum numerum statim veniat, sed eum ordinem conseqvatur, qvi ceteris ad priora subvectis ultimus poterit inveniri.

*) Is superstitione captus in febre intermittente carminibus et amuletis usus est. "Inscribas, ait, chartæ, qvod dicitur *abracadabra* sæpius: et supter repetas, sed detrahe summæ, et magis atqve magis desint elementa figuris singula, qvæ semper rapies et cetera figes, donec in angustum redigatur litera conum. His lino nexis collum redimere memento.

via ab illis omiſſa eſt, qvibus, eloqventiæ ſtudioſis, ſcribendi ac diſputandi gloria major fuit" *). Qvi tum extiterunt viri, celebritate nominis clari, praxi ſe unice dederunt, Qvare non mirum, ſi his laudi maxime cedit, qvod morbos non paucos, ab antiqvioribus medicis ſilentio prætermiſſos, ſolerter deſcripſerunt ac delinearunt, nova etiam medicamina tam ſimplicia qvam compoſita, propria experientia freti, commendarunt, et praxin chirurgicam non parum provexerunt. Ab initio ſeculi qvinti Mars nimis dominatus eſt, qvam ut notabiliora medicinæ incrementa ſperari poſſent. Inter arma ſilent leges. Tum Muſæ ingemiſcunt, ſed Bellona bonis artibus et pacis ſtudiis inimica, qvotqvot iis ſtudent, eos flagello ſuo cædit, omniaqve humano ſangvine, ſtrage, vaſtatione, incendio implet. Sub tam peſtilento ſidere omnes fere medicorum ſcholæ devaſtatæ ſunt, inſtructisſimæ ac ſumptuoſisſimæ bibliothecæ una cum urbibus florentisſimis incendio deletæ. Sic rationis et cultus lumine fere extincto, gentes barbaræ et crudeles, inſuper Idololatria captæ, religionis ſive hæreſeos *Arianæ* qvodam furore actæ, ubiqve ſævientes, ipſum Acheronta, ut cum poeta loqvar, moventes, omnibus terris cultis ſpiſſas tenebras offuderunt. Omnes artes bonæ et ingenuæ demum perierunt, nullum non diſciplinæ genus exſtinctum eſt. Univerſum terrarum orbem cultum, populos, populorumqve principes, qvin cultiores hominum ordines ipſosqve eruditos ſeculorum ignorantia corripuit. Seculo octavo Arabes, qvi tum Hiſpaniæ imperium tenuerunt, ſcholas medicas (Toleti et Cordubæ) denuo inſtituerunt. Iidem Græcorum ſcripta, qvæ interitum effugerant, hinc inde ſparſa, Conſtantinopoli maxime collegerunt, e qvibus præcepta medicinæ, *Galeni* dogmata in primis, explicare, et ſcriptis, arabico ſermone divulgare coeperunt. Noſter *J. Badenius* de argumento confini et de cauſa bonarum artium communi in epiſtola ad Cramerum (Anno 1765) Opuſcul. latin. Hafn. 1793. pag. 76. hæc ſcribit: "Arabes con-

*) Collect. *Aldin.* Med. ant. Baſ. 1532.

constat seculo nono subitum invasisse Græcæ lingvæ studium, et multos eos undiqve conqvisivisse græcos libros in primis in medicina et philosophia *Aristotelica*, qvos in Arabicam lingvam transferendos curaverunt etc." Eqvidem græcos in medicina libros non evagor. Arabicorum scriptorum principes fuerunt seculo nono *Serapion* et *Isaacus Israëlita*, seculo decimo *Haly Abbas* et *Rhazes*, undecimo *Avenzoar*, *Avicenna* et *Constantinus Africanus*, duodecimo *Albucasis*, *Averrhois* et *Mesue Christianus*. Hi novatores magnam qvisqve suæ ætatis famam consecuti sunt, eorumqve scholæ ab exteris discendi cupidis multum freqventatæ. Eos omnes ab anatomiæ exercitio seculi genius, cadavera vel attingentibus interminatus, prorsus prohibuit. Hinc iisdem tantum licuit ex priscorum scriptis sapere, casuqve fortuito et audaci periculo cautis simulqve peritis fieri. Apud eorum plurimos *Aristotelis* et *Galeni* auctoritas tantum valuit, ut parum abesset, qvin in verba horum magistrorum jurarent. Qvare offendimus Arabum medicinam Peripateticæ disciplinæ servitio itidem pressam. Chemiam Arabes non coluerunt tanqvam disciplinam artis medicæ auxiliatricem, sed ut qvæ mysteria artis metallurgicæ et chrysopoieticæ explicaret, et qvidem sermone nimis metaphorico et hieroglyphico, qvam ut, qvæ docent, intelligi possint. Neqve minus dolendum est, qvod iidem Græcos scriptores in Arabicum sermonem vertentes, pingviqve Minerva id facientes, genuinum illorum sensum valde corruperint. Hisce convenit *J. Badenii* testimonium, qvi in supra laudata epistola *) ubi de scholasticæ philosophiæ erroribus dolet, ita scribit: "qvot et qvam gravibus eam philosophiam putemus inqvinatam esse erroribus, qvæ primum eo tempore nata sit, qvo summa omnium divinarum humanarumqve ignorantia ubiqve versaretur, deinde ab illa gente natales duxerit, qvam omnium ineptissimam et superstitiosissimam fuisse constat." Contra ea laus Arabibus merito tribuenda est, qvod antiqvæ eruditionis monumenta, qvæ tum neglecta

*) l. l. p. 77.

lecta jacuerunt, omnium primi, Divino impetu velut acti, undecunqve collegerint, ac per majorem orbis partem diffuderint. Iidem morborum nonnullos, nondum descriptos, inter qvos variolæ, solerter pertractarunt; materiam medicam variis medicaminibus, ex. gr. manna, rheo, senna, tamarindis, aliisqve purgantibus, præcipue lenioribus, locupletarunt. Hæc generatim dicta sunto. Libet pauca addere de *Rhaze* et de *Avicenna*, qvippe qvorum scriptis ad juventutis institutionem Professores in alma Universitate Hafniensi postea qvoqve usi sunt. *Rhazes* Rei in provincia Chorosana natus est Anno 852. Is in urbem Bagdad anno ætatis 30 migravit. Ad medicinæ studium sero animum appulit. Studio indefessus nec a scribendo neqve a legendo unqvam abstinuit. Arabum *Galenus* existimatus est. In itineribus, qvæ crebro fecit, inter Botanicos, Medicos ocularios, et Chirurgos multum versatus est. Philosophiam, Astronomiam, rem medicam, et Musicam impense colens, peritissimus Alchymista habitus est. Ille idem composuit sic dictum *Continentem*, qvod opus omnia, qvæ ad medicinam a tempore *Hippocratis* ad *Isaacum* usqve pertinent, qvamvis continens, præfracte tamen et breviter conscriptum est. Dicitur præterea scripsisse 226 libros, qvorum nonus præcipue, qvi de curatione morborum agit, per aliqvot secula fama adeo percrebuit, ut doctissimi Professores hunc in suis scholis publice explicarent, et in hoc argumento tractando tererent. Hoc opus e Græcis fontibus hausit, neqve tamen raro ipse expertus loqvitur. De morbis infantum librum integrum scripsit, in qvo argumento ante eum nemo tam diligenter et tam plene versatus fuerat. Ignem Persicum, venam Medinensem, spinam ventosam is primus qvoqve descripsit. Neqve qvisqvam ante hunc præparationum Chemicarum usum in medicina fecit. Is anno 932 interiit. *Avicenna* Bacchanæ in provincia Chorasana natus est circa annum 980. Is juvenis philosophiæ operam dedit, magnosqve in disciplinis mathematicis progressus fecit; neqve ita multo post in medicina inclaruit. Ille idem ingens opus confecit, cui *Canonis* nomen indidit. Hujus libri fama univer-

fam

ſam Aſiam peragrans in Europam tranſiit, et hanc qvoqve orbis partem adeo implevit, ut ab initio ſeculi undecimi ad inſtauratas denuo literas *Avicenna* fere ſolus feliciter regnaverit. Nihil tamen, inqvit Cel. *Freind* *) apud hunc ſcriptorem inveni, qvod non ſit a *Galeno* ſumtum, vel qvod exigua mutatione non in *Rhaze* ſaltem aut *Haly Abbate* occurrat. Avicenna Anno 1036 obiit.

Medicinæ fortuna ſub infelicium horum temporum decurſu habet neſcio qvid mirandum. Neqve enim aſſidua vel atrociſſima bella, neqve anilis ſuperſtitio, omnium mentes obcæcans et velut obſidens, neqve Clericorum ſive craſſa ignorantia ſive auctoritas dominationem et tyrannidem ſpirans — hæc inqvam mala ne connixa qvidem valuerunt nullum non ſalutaris hujus artis veſtigium delere. Sub tam ſævo imperio ars qvidem ingemuit; qvæ eadem, ut interire non poſſet, id in cauſa fuit, qvod hac arte mortales carere non poſſunt.

Seculo undecimo ſchola Salernitana, cujus primordia minus nota, florere coepit. Huic ſcholæ tum moderatus eſt Monachus *Conſtantinus* Africanus, qvem Carthaginenſes, apud qvos natus erat, nimis eruditum exiſtimantes occidere voluerunt. Qvid et qvantum in arte hic præſtitit, noſtra minus intereſt, qvam qvid in literis. Is fuit vir eruditus Græcæ lingvæ maxime et orientalium peritus, ſuoqve tempore valde celebris **). Multa ſcripſit, qvorum plurima ex aliis tam Græcis qvam Arabibus auctoribus hauſit ***).

Scien-

*) Hiſt. medic. p. 237.

**) *Odericus* Monachus ita: In urbe ſalernitana, inqvit, neminem Anno 1059 in medicinali arte præter qvandam ſapientem matronam ſibi parem invenit *Conſtantinus* (vid *Riegels* de fatis Chir. p. 251.)

***) vide *Gerhardi* Carionenſis collect. de febr. p. 274. "Sciendum", inqvit *Valeſcus de Taranta,* "qvod licet *Conſtantinus* imponat ſibi, qvod ipſe fecit Pantechnum, tamen ſallitum eſt, qvia *Rhaſis* compoſuit ipſam, ſicut ego

reperi

Scientiis medicis *Constantinus* apprime favit, qvo deprecante procul dubio factum est, ut schola salernitana ducis *Roberti* liberalitatem anno 1076 experta sit. Ceteroqvin mirum non est, si *Constantinus*, qviqve ætate ei æqvales fuerunt, verbo Dei, miraculis, oleo sancto, precum et reliqviarum usui in morbis profligandis nimio plus tribuerint, contra qvod facere oportuit, artem chirurgicam et obstetriciam prorsus neglexerint. Episcopi nimirum ipsiqve pontifices Romani medicinæ se hoc tempore immiscuerunt *). Postea scholæ salernitanæ fama serpens ita manavit, ut pro seminario medicinæ universi orbis terrarum habita sit. Statuta hujus scholæ, ex qvo fundata est, præclara fuerunt, e qvibus ceu exemplaribus non ita diu post medicorum instituta Neapoli, Montispellii, Bononiæ et Lutetiæ Parisiorum petita sunt. Demum Imperator *Fridericus secundus*, singularis literarum artiumqve fautor, circiter annum 1225 huic scholæ privilegia magnifice indulsit, qvæ ad medicinæ studium vel currentibus calcaria subderent. Ea res per aliqvot secula intra pia desideria nihilominus substitit.

Inter medicos seculi decimi tertii eminent *Arnoldus Villanovanus*, Anno 1250 natus, vir eruditus, qvi multum peregre profectus est, Alchymiam strenue coluit, demum ad annum 1313 Lutetiæ Parisiorum medicinam docuit; *Rogerus Baco*, Monachus anglicanus, anno 1214 natus, qvi Astronomiæ, Chemiæ et Physicæ experimentali operam dedit; *Bernhardus Gordonius*, medicus gallicus, qvi a medio hujus seculi ad initium seqventis floruit, atqve Mon-

reperi in qvodam antiqvissimo libro, ubi expresse ponitur in principio; incipit liber *Rhasis* philosophi, verumtamen *Constantinus* mutavit titulum et proæmium. Etiam *Christianus* composuit viaticum et non *Constantinus*, ut fatetur *Gerhardus* Carionensis super eundem librum. Pereant ergo latrones, qvi metunt et non seminaverunt, et ponunt falcem in messe aliena." !!!

*) *Riegels* l. l. p. 258. *Tertullian* adv. *Marcionem* Libr. II. c. 8. p. 418. "A demoniis liberare est curatio valetudinis."

Montispellii medicinæ Profeſſor fuit; *Petrus de Abano* anno 1253 natus, qvi Lutetiæ ac Conſtantinopoli medicinam fecit, poſtea hanc artem primum Bononiæ, deinde Patavii docuit; *Wilhelmus de Saliceto* aliiqve. Hi qvidem viri, et plures his ætate æqvales, in ſingulis diſciplinis (*Baco* maxime in iis, qvas coluit) medicinam aliqvantum auxerunt, artis faciem non mutarunt.

Neqve aliter de ſeqventi ſeculo eſt pronuntiandum, in qvo pauci admodum aliqvod nomen ſunt conſecuti. *Mathæus Sylvaticus*, anno 1310 Mantuæ natus, Archiater *Roberti* Siciliarum Regis, arti nihil profuit; nec magis *Johannes de Gaddesden* (Anglus) jactator, empiricus, magniqve itidem nominis archiater; *Guido de Cauliaco* Pontificis *Clementis* VI archiater, in chirurgia inprimis celebris fuit, qvam nonnihil auxit *). Præ ceteris hujus ævi laude dignus eſt *Mundinus* Mediolanenſis. Is enim, qvantacunqve vi ſeculi genius ei obſtitit, ſecandis cadaveribus et qvidem publice manum ipſe admovit; ille idem Anatomiam circiter annum 1315 conſcripſit, qvæ qvamvis rudis, in lucem tamen protulit, qvæ olim cognita fuerunt. Eandem diſciplinam novis obſervationibus, ad uteri ſtructuram maxime ſpectantibus, auxit. Hiſce *Mundini* conatibus, teſte *Freindio* **), anatomiæ ſtudium qvodammodo eſt denuo inſtauratum, ejusqve anatomia usqve ad renatas Literas ita floruit, ut nullum aliud ſyſtema in ſcholis ſuis ſtatuta Academiæ Patavinæ doceri pasſi ſint. Sic tandem ſpes arti medicæ iterum arriſit.

Deniqve ſeculo decimo qvinto ſors, artium et rerum humanarum domina, medicæ etiam arti plus commodi adjecit. Mitto *Baſilium Valentinum*, Monachum, qvi hoc ævo chemiam ad medicinam applicuit; mitto *Valeſcum de Taranta*, archiatrum gallicum, literis minus qvam peritia celebrem; mitto *Gilbertum* Anglicanum, qvi *Rhazem* compilare exiſtimatus, primus inter

*) Is adhuc ſuperfuit anno 1348, qvo anno atrocisſima qvam deſcripſit, peſtis horribilem mortalibus ſtragem intulit.

**) Hiſt. medic. p. 351.

inter ſuos, (ut *Gvilielmus de Saliceto* inter Italos, et *Arnoldus Villanovus* inter Gallos) remediis chemicis morbos profligare expertus eſt. Minus uberes fuere fructus, qvos hi arti attulerunt, qvæ uberiores cepit, cum poſt ſubactum anno 1453 Orientis imperium *Emanuel Chryſoloras*, *Theodorus Gaza*, *Chalcondylas*, *Trapezuntius*, *Pletho*, *Gennadius* aliiqve viri eruditi, e Græcia in Italiam profugi, ſervatos ſuos Codices in Europam ſecum transvexerunt, Venetiis, Florentiæ, Romæ inprimis domicilium qværentes. Horum virorum adventu non Græcæ modo lingvæ uſus inter eruditos renatus eſt, ſed etiam medicina Græca, ſtudio in primis *Johannis Fernelii*, *Ludovici Dureti* et *Guilielmi Ballonii*, Latino ſermone eſt ſenſim inveſtita. Ita factum eſt, ut *Hippocratis* et *Galeni* maxime doctrina medicos Europæos occupatos iterum tenuerit. Idem de diſciplinis medicinæ auxiliatricibus valere manifeſtum eſt. Id exemplo ſuo confirmat *Hermolaus Barbarus*, vir eloqventia doctrina et judicio inſignis. Is ſui ſeculi ignorantiæ inimicus, qvamvis non Medicinæ ſtuduit, Naturæ tamen ſtudio operam ſedulo dedit, ſuisqve caſtigationibus in *Plinii* hiſtoriam naturalem, neqve minus latina *Dioſcoridis* verſione arti medicæ multum lucis affudit. Naſcentem hanc artis medicæ fortunam non parum juvit bellum ſic dictum theologicum, qvod hoc ſeculo exarſit. Etenim ſi non univerſæ hierarchiæ certe pontificis Romani jugum excuſſum, conciliis ſive ſynodis obſeqvium coecum ac ſervile maſcule denegatum, ingenia humana, ſpiſſæ ignorantiæ tenebris inductis ſopita, evigilare juſſa ſunt, et, qvamvis libertatem ſentiendi, qvalis apud Græcos et Romanos olim viguit, terris redditam dicere non auſim, literarum tamen et lingvarum doctarum ſtudium magis fervuit, ingenio, eruditioni, doctrinæ, animiqve virtuti, qvam eandem dominatio tamen non nunqvam fregit, ſuus honos denuo acceſſit *). Præter hæc *Ars typographica*, circa medium hujus ſeculi,

*) vide *Uſſings* Kirkehiſtorie 1 D. §. 14 og 21. vide etiam Statiſtiſk, Juridiſk og

ſeculi, nimirum inter annos 1436 et 1440, inventa, omnibus diſciplinis mire profuit, qva miniſtra cognitionis divitiæ, qvilibet in qvacunqve arte profectus, qvodvis artis nullæ non ingenuæ augmentum, ad terras remotisſimas velocisſimo curſu ferri et tutisſime ſervari poſſent. Hoſce eventus Deus Optimus Maximus, rebus humanis providens, bene conjunxerat, cum eodem ſeculo varii morbi populares, ſcilicet ſcorbutus anno 1482, ſudor anglicanus anno 1483, foeda lues venerea anno 1492 Europam invadere coeperunt, et univerſo generi humano interitum minati ſunt. Sic in exteris regionibus *Medicinam Hippocraticam reſtauratam* invenimus eodem fere tempore, qvo Univerſitas Haſnienſis (Anno 1478) fundata eſt. "In patria liberi olim referebant, ut *Tacitus* loqvitur *), robora parentum, nec fæminæ numerare aut exſugere plagas pavent, cibosqve et hortamina pugnantibus geſtant." Bonos mores apud majores noſtros plus valuiſſe, qvam apud alias gentes optimas leges, idem rerum ſcriptor teſtatur. Hanc morum ſimplicitatem clerus ſuis placitis mutavit, qvæ, qvantum innovarunt, arti medicæ parum profuerunt. Utcunqve ſit, Annales patriæ nihil habent, patriam medicinam qvod attinet, ad id temporis memoratu dignum. Ad undecimum ſecu-

og Litterariſk Bibliothek 4 B. Secretair *Gudenraths* Afhandling: "Kritiſk Underſögelſe om hvad den Ting er, man har givet det beſynderlige Navn Misgjerninger imod Religionen." Pag. 58 hæc leguntur: "Vi ere ſkrækkelig uvidende, naar vi kunne troe, at den Morgendæmring, da (Reformationen fra det 11te Aarhundrede til Begyndelſen af det 16de) er den menneſkelige Oplysnings Middagshöide" — paulo poſt in eadem pagina — "Skam over os, om vi blive ſtaaende der, hvor han (*Luther*) begyndte. Proteſtanterne fremlagde Aar 1530 en Retfærdiggjörelſe, ſom kaldes den augsborgſke Troesbekjendelſe. Den fremlagdes ſom et Forſvarsſkrift, ei ſom en Regel for Efterkommernes Troe."

*) De ſitu, moribus et popul. Germ. Edit. per *Brotierum*. Par. 1776. Cap. VII. p. 13. Cap. 20. p. 23.

seculum usqve mulieribus artis exercitium commissum fuisse scriptores fide digni perhibent *). Omnium primo anno 1043, postqvam in campo, qvi *Lyrskov* dicitur, pugnatum fuerat, de Chirurgis et Medicis in patriæ historia mentio fit **). Anno 1182 *Abbas Stephanus* Tornacensis, ab *Archiepiscopo Absalone* jussus, huic theriacam a Parisiorum Lutetiis misit, "ut humile satis sed utile Xenium, magnis et potentibus viris acceptum, qvorum et vitæ status fructuosus est *in* seculo, et exitus *a* seculo luctuosus" ***). Laudatum hoc antidotum confectum procul dubio fuit ad formulam *Andromachi*, sub imperio *Neronis* inventam. Magnates illud medicamen ab exteris qværere coacti sunt; nondum enim patria, qvam bella et pontificis auctoritas æqve vexabant, medicinam scienter doctos vel pharmacopolas habere potuit. Medicinæ exercitium sibi assumserant Clerici, etsi artem neqve docti neqve hujus periti. Ægrotis, qvi pro sanitate idolis sacrificassent, et a propinqvis essent diffisi (ut narrat *Rambertus*) ****) baptismatis medelam contulerunt, eisqve sanitatem restituerunt". Qvos curare clerici nesciverunt, leprosos maxime, Xenodochiis tradiderunt misericordia tacti *****). Vetustissima de arte medica scripta, qvæ patria habet incolumia (nimirum a seculo 13 et 15) qvam abjectus artis medicæ status ante Universitatem Hafniensem

 fue-

*) *M. Saxtorph* om Födſ. Hoſp. Stift. i Videnſk. Selſk. Skr. 2 B. 1783. p. 112. *Sneedorffs* Saml. Skr. 1 B. p. 39.

**) *Nyerups* Udſigt over Fædr. Litter. i Midald. 1804. p. 5. "Efter Slaget paa Lyrſkovs Hede lod Kongen forbinde ſit Folk, ſom vare Saarede, og da Badſkere og Læger vare ſaa faa i Hæren, at de ikke kunde overkomme at forbinde dem alle, ſaa udſögde Kongen 12 Mænd med blöde Hænder, og ſkikkede dem til at forbinde de Saarede; og bleve de ſamme Mænd derefter gode Læger af den Aarſag,".

***) *Riegels* Chirurgiens Hiſtorie p. 92.

****) *Riegels* de fatis Chirurgiæ p. 341.

*****) *Baden* om Lægevidenſkabens Forf. i Oldt. p. 53.

fuerit, ſatis ſuperqve confirmant *). Ab anno 1478 ad annum 1539, qvo Univerſitas Hafnienſis reformata eſt, *Petrus Albertus*, primus Cancellarius, *Alexander Kinhorn*, (Regis Archiater) et *Torchillus Morſianus* (ſacrorum olim Antiſtes, vir eruditione celebris) arti medicæ præfuerunt **). Qvid ſive ad juventutem arte inſtituendam ſive ad artem ipſam evehendam a his viris præſtitum invenimus, leve eſt, neqve operæ pretium horum actis diutius immorari. Hos excuſant qvoqve tam alia impedimenta, qvam turbæ ac motus, qvibus patria tum jactata fuit. Qvare ad artis fatum apud exteras nationes revertor, et num qvid, hoc temporis intervallo extra patriam memoratu dignum, præſtitum ſit, videbo.

Non ita multo poſt medicinam Hippocraticam, cui Itali et Galli operam maxime dederunt, inſtauratam multi medici Europæi, Arabum more, in exercitium Alchemiæ incumbere coeperunt. Hinc ars medica nova denuo impedimenta experta eſt, qvæ per longum tempus magno detrimento illi fuerunt. Etenim cum auri ſacra fames chemicos eluſit, fruſtra ſperantes viliora metalla in nobiliora, chemica arte, mutare; inter hos *Adepti* iſta ſpe fere amentes poſtea ſurrexerunt, qvi *lapidem philoſophorum, eſſentiam qvintam,* *do-*

*) Hæc ſcripta ſunt: Translatio poëmatis *Aemilii Maceri* (ſive potius, ut qvibusdam videtur *Odoboni*) a *Henrico Harpeſtrengio*, Canonico Roſkildenſi, et Codices a Clericis *Magiſtro Petro* et *Canuto Yuulo* conſcripti, qvi in Bibliotheca Regia adhuc ſervantur. (conf. *Herholdts* Bidrag til Pharmac. og Med. Taxt. Hiſtorie p. 3.)

**) *P. Albertus* anno 1493 artem typographicam primus in patriam intulit, duosqve libros, nimirum fundamentum in Grammatica et regulas grammaticæ, illico imprimendos curavit. (vid. *Nyerups* Udſigt over Fædr. Litter. i Middel-Ald. p. 359.) *Alex Kinhorn* poſt commorationem annorum decem, unde venerat, eo rediit. — *T. Morſianus* ſcripſit de cauſis et cura peſtis. (vide *Barthol.* ciſt. med. p. 21.) et fragmenta varia medicinæ theoreticæ.

donumve Azoth ſe inveniſſe crederent, certe inveniſſe gloriarentur; cujus ope ut viliora metalla in aurum verti poſſe crediderunt, ita ægrotos homines (qvos pro metallis ignobilibus habuerunt) in recte valentes (qvi ſolis ſive auri ad inſtar iis fuerunt) transformare ſe poſſe opinabantur. Iidem omnia corpora tam cæleſtia qvam mundana ex ſale, ſulphure, et mercurio conſtare dictitarunt, atqve phænomena morborum e chemicis principiis explicarunt, ope ſcilicet fermentationis, efferueſcentiæ, putrefactionis, præcipitationis et ſic porro. Lubricam hanc viam calcantes medici non pauci, interpretando magis, qvam obſervando, famam qvæſiverunt. Inde factum, ut ars ipſa, etſi a prima ſua origine experientiis innixa, jam non ſuperſtitione ſolum ſeculorum depreſſa, et philoſophicis, Peripateticorum maxime, commentis obumbrata, ſed Adeptorum etiam nec non Aſtrologorum deliramentis corrupta et depravata ſit. Princeps *chemicæ* hujus ſectæ erat *Paracelſus Theophraſtus Bombaſtus ab Hohenheim.* Is natus anno 1493 (1541 demortuus) immodice ſe efferens, omnibus ſcriptoribus et Galenicis et Arabibus petulanter infenſus fuit. Ipſum loqventem faciam: "Me, me inqvam, ſectabimini. Tu *Avicenna*, tu *Galene*, tu *Rhazes*, tu *Montagnane*, tu *Meſue:* non ego vos, ſed vos me ſectabimini, vos *Suevi*, vos *Misnenſes*, vos *Colonienſes*, vos *Viennenſes*, vos qvotqvot *Danubius* aut *Rhenus* alit. Tu etiam *Italia*, tu *Dalmatia*, vos *Athenæ*, tu *Græce*, tu *Arabs*, tu *Iſraelita* — — Ego Monarcha ero." Sub vehementi hac animorum fermentatione et effervescentia ſancta illa puritas artis *Hippocraticæ* iterum fere evanuit, a paucis tantum hinc inde ſervata. In laudem *Paracelſi* ejusqve aſſeclarum id nominandum, ut variis remediis e regno in primis minerali petitis, ſcilicet mercurio, turpetho minerali aliisqve æqve efficacibus, qvorum vires medicos tum latuerunt, fidem conciliarent. *Paracelſus* qvoqve auctoritatem magnorum nominum antea nimis cultorum ſuo impetu fregit, illamqve de rebus, qvæ artis medicæ ſunt, cogitandi libertatem, (qvam ſuis legibus vinctam, auctoritatum vinculo ſolutam eſſe convenit) ex parte reſtituit. Obſervatione dignum eſt,

inge-

ingenuam hanc in Æſculapii arte probandi aut improbandi facultatem incidiſſe in tempus, qvo pontificia et conciliorum auctoritas a *Luthero* eſt impugnata et concuſſa. Nullus rerum et eventuum concurſus eſt fortuitus, ſed res magnæ Divino conſilio regi videntur *).

Magnum itineris ſpatium emenſus, portum, qvem qværebam, intravi. Hæc, qvæ ſelegi, et ad temporum ordinem diſpoſui, momenta et univerſæ Medicinæ hiſtoriæ velut partes nobiliores qvodammodo oſtendunt, qvalem in genere artem Profeſſores primo tempore poſt Univerſitatem Hafnienſem reſtauratam (anno 1539) juventuti tradere valuerint. De *ſingulis*, qvas ars ambit, diſciplinis pauca inſuper addere conſtitui, qvo clarius et apertius fiat, qvando penes majores noſtros ſtetit earum qvamlibet aggredi et docere.

A. *Clinice medica* cum, ut ubivis terrarum ſic in patria noſtra, ipſa arte antiqvior eſt; cui ergo mirum, ſi ea prima campi aream patribus aperuerit, in qva, qvid poſſent, experiri voluerunt. Id ita factum *prælectionum catalogi* hujus temporis ſat confirmant. Hi nempe ſatis oſtendunt, ab anno 1539 ad hodiernum usqve diem, magnam hanc artis partem, in qvam ceteræ omnes deſinunt, nunqvam adhuc neglectam fuiſſe, ſed qvotannis a *Finkio* inde Neſtore, ad noſtrum, annis et meritis æqve gravem, *Bangium*, et virente ætate florentem *Mynſterum* usqve, utrumqve collegam conjunctiſſimum, ſuæ diſciplinæ alumnis traditam eſſe. Qvibus hæ partes mandatæ fuerunt, ii ad illuſtre *Hippocratis* exemplum a nimis fertili, interdum luxuriante, artis theoria, tanqvam vaga cognitione et ab opinionum commentis, fere omnes recte abſtinuerunt, experientia indies creſcente innixi magis et confiſi. Clinices præceptorum et normarum diſciplina ante metropolin, noſocomiis ceu ſcholis practicis inſtructam, medicæ juventuti parum ſuffecit, qvæ, qvamvis Clinice

*) Paracelſo coevi erant *Leonhardus Fuchs*, et *Hieronimus Cardanus*, qvibus munus Profeſſoris in medicina (Anno 1537-38) a *Rege C. III.* oblatum fuit. Horum uterqve conditionem oblatam recuſavit.

niçe tam viva docentium voce, qvam ſcriptis, tradita in patria fuerit; exteras tamen regiones petere et neceſſariam experientiarum copiam foras qværere coacta ſit. Bene enim *Cicero*: Nec medici, nec imperatores, nec oratores, qvamvis artis præcepta perceperint, qvidqvam magna laude dignum ſine uſu et exercitatione conſeqvi poſſunt *). Demum Noſocomiis conſtitutis, *Fridericiano* in primis, anno 1756, exſtructo, et Regali munificentia ſplendente; ut olim Athenas et Corinthum juvenes, bonarum artium cupiditate flagrantes, adierunt, ita noſtri juvenes, qvotqvot medicinæ ſtudent, non poſſunt, qvin hoc *Æſculapii* templum magno cum fructu freqventent et pie venerentur.

B. *Pharmacologia* ſive materia medica ut armamentarium, in qvo repoſita et diſpoſita ſunt arma, qvibus medicus morbos oppugnat, Clinicæ arti fere æqvalis fuit. Qvæ doctrina cum tardius exculta et in qvandam artis formam redacta eſt; Profeſſores primo tempore id ſatis habuerunt, ut ſingulos morbos perſeqventes, ex *Dioſcoride*, *Plinio*, aliisqve media, cuivis morbo apta, ſvaderent. Id velut digito demonſtrat prima medicamentorum taxa, Hafniæ edita anno 1619, qvippe cui nulla pharmacopæa ceu fundamentum ſubdita ſit **). Deniqve prodierunt magni illi viri *Helvicus Dietericus*, *Thomas Bartholinus*, *Olaus Borrichius*, *Nicolaus Steno*, *Georgius Fuirenus*, *Otto Sperlingius*, *Petrus Theodoricus Payngkus*, ejusqve filius *Ahaſpherus*, et *Simon Pauli*, qvorum ingenio et aſſiduo labore (inter annum 1638 et 1658) ars

*) De offic. L. I. p. 41.

**) *Johannes Hartmannus*, Chemiæ laude celebris, nominatur primus, qvi Chemiæ Profeſſoris munere in Europa functus ſit, in urbe Marpurgo anno 1609, ubi Univerſitas fundata eſt anno 1527. Hujus viri Apophtegma; "Dogmata non juro in *Paracelſi* aut ſcita *Galeni*, vera utriusqve placent, falſa utriusqve jacent." Prima medicamentorum taxa in Europa prodiit anno 1538: "Des Apotegkers Taxt zu Lyndaw jnen von eynen Erſamen Rath daſelbſt geben."

ars Botanica et (ex arte chemica) Pharmacia in primis tantos progreſſus fecit, ut medicina Danica proprio Diſpenſatorio (anno 1658) ditata ſit. Poſtea Pharmacologia ſeorſim in ſcholis tradita eſt, anno 1660 ab *Erasmo Bartholino* ("de proportionibus medicamentorum"); anno 1664 ab *Oſtenfeldto* ("de remediis popularibus"); anno 1671 ab *Olao Borrichio* ("de pharmacevticis præparationibus"); anno 1686 ille idem "Chemiæ pharmacevticæ elementa" impertivit *). Remedia vegetabilia, *Galenica* perperam dicta, antiqvitus maxime in uſu fuerunt; poſt remedia chemica, *Sphagyrica* dicta, invaluerunt. Ceterum qvalis ſeculi genius fuerit, qvantosqve progreſſus ſomnia adeptorum vel inter pharmacopolas fecerint, id ex titulo codicis, qvi in Bibliotheca Regia ſervatur, ſatis intelligi poteſt **).

C. *Anatomia.* Hæc artis ſalutaris pars, cujus profectui Romani pontificis auctoritas et concilia obſtiterunt, ut in aliis Europæ regionibus, qvas gravis religio adeo oppresſit, ut vita humana jaceret, ſic in patria noſtra, qvam præter ſuperſtitionis jugum diſcordiæ ac turbæ tum temporis exagitarunt, multo ſerius qvam medicina clinica et pharmacologia eſt exculta. *Mundinus* jam anno 1305 Boloniæ exercitium hujus diſciplinæ in Europa reſtaurave-

*) Ab hoc loco non alienum eſt memorare *Laboratorium Chemicum*, qvod *O. Borrichius*, (non actor rerum tantum et ſcriptor, ſed ſua etiam in Chemicum ſtudium munificentia dignus ſempiterna poſteritatis memoria) alumnis paravit in Collegio, qvod ab eo fundatum Mediceum dicitur. (vide *Badens* Univerſitets Journal for Aaret 1794).

**) "*Tractatus de lapide philoſophorum admirabili, ſive Tractatus* was vom *lapide philoſophorum admirabili* zu halten, und wo derſelbe mit der heiligen Schrift, als dem wahren Ekſtein *Chriſto Jeſu*, ſowohl auch dem grosſen Welt Buch der Natur concordire, entgegengeſetzt allen denen, ſo denſelben *ex rebus ſeu materiis vulgaribus*, und nicht *antimonio magico ſeu chao univerſali* zu erlangen ſich unternehmen wollen. (*Auctore Benedicto Campero Pharmacopola Fridericiæ anno* 1664, *ſuo inſcriptione: Loqvente veritate, taceat deſcedatqve mendacium*"!

raverat, atqve "anatomiam omnium humani corporis interiorum membrorum" ſcripſerat (conf. pag. 48.), qvi labor ut opus poſthumum (defunctus eſt *Mundinus* anno 1318) poſt inventam (anno 1436-1450) *artem typographicam*, prima vice Paviæ anno 1478 in fol. e prelo prodiit. Proximo poſt tempore medicorum etiam non pauci exemplum *Mundini* ſecuti, hujus diſciplinæ ſtudio et exercitio claruerunt, multaqve egregia olim cognitis ſenſim addiderunt. Patriæ medicinæ uti anatomiæ lumen ſerius accenſum fuit, ita ex qvo noſtri in Anatomiam incubuerunt, accenſum lumen ad exteros diffuderunt et poſteris prætulerunt. Qvo tempore Univerſitas Hafnienſis fundata eſt, ſuperſtitio ſeptentrionem adhuc nimis coercuit, qvam ut qvisqvis, qvantum ſaperet, ab opinionum contagio ipſe intactus humano cadaveri manum admovere auderet. Primi in Univerſitate Hafnienſi Profeſſores, foras acciti, ſuam anatomiæ ſcientiam apud exteros ſibi comparaverant. *Johannes Franciſcus* inter annum 1560 et 1584 Oſteologiam ad ſcripta *Galeni* ſine ulla clara et evidenti demonſtratione docere eſt velut coactus. *Andreas Chriſtianus*, pia memoria, *Franciſco* ſuccedens, et ad annum 1601 munere Profeſſoris functus, dum primus diſſectiones publice inſtituere tentabat, ſimilem ei, qvam olim *Democritus*, fortunam (conf. p. 13.) expertus eſt. Ante annum 1628 alma noſtra Univerſitas ne ſceletum qvidem poſſedit, et primum, qvo H. *Arniſæus* ſcholam medicorum hoc anno donavit, rutrum manu tenens, patres expoſuerunt, eo conſilio, ut populus adſpectui illius ceu mortis ſymbolo adſveſceret. Nondum Hafniæ noſocomia fuerunt, e qvibus medici humana cadavera impetrare poſſent; nec domus anatomica ante annum 1644 exſtructa fuit. Hæc conjuncta monſtrant præter et ultra Zootomiæ exercitium rerum naturalium ſtudioſis nihil licuiſſe *).

Qvæ a *Mundini* ævo, ab anno 1305 ad annum 1644 usqve, in anatomia præſtita ſint, horum ſingula hic perſeqvi non poſſum, neqve ſi poſſem, volo,

*) M. *Skjelderupi*, Proluſio anno 1811.

volo. Satis habeo nominare viros, qvi memoriam posteritatis meruerunt, qvosqve constat horum trium seculorum spatio scriptis anatomicis supra ceteros inclaruisse. Fuerunt seqventes: *Mundinus mediolanensis* (1). *Antonius Zenon* (2). *Johannes de Ketham* (3). *Alexander Benedictus* (4). *Magnus Hundt* (5). *Gabriel de Zerbis* (6). *Jacobus Berengarius Carpensis* (7). *Alexander Achillinus* (8). *Andreas Lacuna* (9). *Johannes Guntherus Andernachus* (10). *Johannes Dryander* (11). *Nicolaus Massa* (12). *Andreas Vesalius* (13). *Carolus Stephanus* (14). *Matthæus Curtius* (15). *Jacobus Sylvius* (16). *Realdus Columbus* (17). *Gabriel Fallopius* (18). *Hieronimus Fabricius ab Aqvapendente* (19). *Julius Cæsar Arantius* (20). *Johannes Baptista Cananus* (21). *Johannes Philippus Ingrassias* (22). *Constantinus Varolius* (23). *Volcherus Coiterus* (24). *Samuel Albertus* (25). *Archangelus Piccolhominus* (26). *Andreas Laurentius* (27). *Johannes Jessenius* (28). *Casparus Bauhinus* (29). *Guilhelmus Harvæus* (30). *Adrianus Spigelius* (31). *Casparus Asellus* (32). *Casparus Hofmannus* (33). *Johannes Veslingius* (34). *Johannes Riolanus junior* (35).

1) Anatome omnium C. H. membr. Paviæ 1478. fol. 2) De natura hum. et embryone Venet. 1491. 4. 3) Fasciculus de Medicina. Venet. 1491. 4. 4) De Anatomia Lib. V. Venet. 1493. 8. ibid. 1502, Cölen 1527, Venet. 1533. fol. Basil. 1549. fol. 4. 5) Anthropologium Lipf. 1501. c. figuris anatomicis ligneis. 6) Anatomia C. H. Venet. 1502. Marpurg. 1533. fol. ibid 1537. 4. 1545. 4. simul cum anatomia *Mundini*. 7) Commentarium in anatomiam *Mundini*. Bonon. 1521. 4. 8) Anatomia C. H. et Comment. in Anatom. *Mundini* (vide opera omn. Venet. 1568). 9) Methodus anatom Paris 1535 8. 10) Institutiones anatom. Basiliæ 1536. 8. Earundem edit. *Andr. Vesalii* Patav. 1558. 8. 11) Anat. Capitis Hum. Marpurg. 1537. fol. Annotat. in Anat. *Mundini*, adject. proem. et figur. ibid. 1541. 4. 12) Anat. introductor. Venet. 1536. 4. 13) De C. H. fabrica Lib. VII. Basil. 1543. 1555. fol. c. figuris. 14) De dissectione C. H. Paris 1545. fol. c. figuris. 15) Explicatio in Anat. *Mundini* Pav. 1550. 8.

16)

Qvod Nostri hoc temporis intervallo in anatomia effecerunt, id consulto distuli, ut seorsim oculis et menti lectoris subjici posset. In patria anatomiam docentes cum haberent, qvæ seqvi possent; parum contenti iis, qvæ ab aliis inventa acceperant, vehementi ardore flagrantes, anatomicum studium amplexi sunt. Ante ævum *Caspari Bartholini* (patris), anno 1585 nati et anno 1629 denati, nemo in patria inventus est, qvi hoc studium multum juverit. Is apud exteros degens, supra laudatorum anatomicorum ducibus maxime usus est *Hieronimo Fabricio ab Aqvapendente*, *Julio Casserio* et *Casparo Bauhino*. A magnis his viris edoctus, et manu exercitus, *J. Casserio* præceptori in editione sui operis, *Pentæsthesion*, seu de qvinqve sensi-

 bus

16) Isagoge anatomica aliaqve (vide ejus opera edit. *Renat. Moreau* Genev. 1630. fol.) 17) De re anatomica Lib. XV. Venet. 1559. fol. 18) Observat. Anat. Venet. 1561. 8. Exposit. in *Galeni* L. de ossibus Venet. 1570. 8. 19) Tractatus varii: de venarum ostiolis aliiqve (vide opera omn. Lips. 1687. fol.) 20) Observat. anat. Venet. 1561; de foetu humano ibid. 1587, 1595. 4. 21) Musculorum H. C. picturat. dissect. Ferar. 1572. 4. 22) Comment. in *Galenum* de ossibus Panorm. 1572. 4. 23) Anatomia s. de resolutione C. H. Francof. 1591. 8vo. 24) Tabulæ de Cartilaginibus Bonon. 1566. fol. diversorum animalium sceletorum explicationes Norib. 1575. fol. c. fig.; externarum et internarum H. C. partium tabulæ ibid. 1573; historia ossium infantis etc. 25) Historia C. H. Witteb. 1583. 8. Observat. anat. ibid. 1620. 8. 26) Prælectiones anatom. Romæ 1586. fol. 27) Hist. anat. C. H. Paris 1600. 28) Hist. anat. Pragensis; tract. de ossibus Witteb. 1601. 8. Examen observ. anat. *Fallopii* Hanov. 1610. 8. 29) Instit. anat. Basil. 1604. 8. De C. H. fabrica s. theatr. anat. Francof. 1605. 8. 30) Exercitat. de motu cordis et sangvinis Francof. 1623. 4. 31) De formato foetu; de H. C. fabrica Venet. 1627. fol. 32) De lacteis venis 1628. 4. 33) Comment. in Galenum de usu partium Francof. 1630. 34) Syntagma anatomicum Patav. 1641. 35) Schola anatom., osteologia, encheiridium anatom. aliaqve.

bus dicti *) magno auxilio fuit. Dein ſuas ipſius *inſtitutiones anatomicas* compoſuit, qvæ anno 1611 Wittenbergæ prodierunt. Hoc opus minus voto omnium eruditorum auctori ſuccesſit, neqve effecit, ut anatomiæ ſtudium primo poſt *C. Bartholini* reditum tempore Hafniæ floreſceret. A ſtudio anatomico Criticorum objurgationes eum adeo non deterruerunt, ut his potius exacuatus, ad illud, qvantum tempora tulerunt, exercendum alumnis facem prætulerit. Id clare monſtrant *Controverſiæ* ejus *anatomicæ*, anno 1631 Goslariæ typis divulgatæ **). In anatomicis magis fere, qvam *C. Bartholinus*, verſatus fuit *Henningus Arniſæus* (ab anno 1620 Regis *C. IV.* Archiater). Is præter plura, a hoc loco aliena, ſcripſit disqviſitiones de terminis ligitimis partus humani, nec non obſervationes et controverſias anatomicas ***). Ex artis annalibus etiam comperimus *H. Arniſæum* eſſe eum, qvi cadavera humana ſecuit ac præparavit, qvibus *Chr. Gertherus*, pictor celeberrimus, juſſu *Henrici Julii*, Ducis Brunſvicenſis, in ſuarum figurarum et tabularum informatione uſus eſt. Imagines has *Corringius* tanqvam ſine exemplo optimas laudat.

Proxime poſt *Arniſæum*, eodem fere tempore ſurgunt duumviri *Simon Pauli* et *Thomas Bartholinus*, qvibus Danorum anatomia et magnum incrementum et ſummum gloriæ faſtigium debet. *Simon Pauli*, anno 1641, primus *Galenum* de osſibus ad Sceletum Univerſitatis, a magno *Olao Wormio* anno 1628 confectum, publice explicavit ****), idem anno 1643 anatomiæ ori-

*) Venet. 1609. fol.

**) *Caſpari Bartholini* Adverſarii in primis erant *Johannes Riolanus, junior,* et *Caſparus Hofmannus* *Riolanus Bartholinum* vocat anatomicum *umbraticum,* qvi humani corporis diſſectioni manum nunqvam admoverit, ſed e picturis, vel animalium ſolummodo diſſectionibus, anatomen didicerit. Ejusdem officii neglecti *Bartholinum* reum agit *Hofmannus.*

***) junctim edit. Francofort. anno 1642. 12.

****) Oratio introductoria Hafn. 1641.

originem præſtantiam et utilitatem depinxit *), atqve domo anatomica, anno 1644 exſtructa, demonſtrationes anatomicas in cadavere *humano* publice habuit. Inſuper poſtea illius cura anno 1648 *Th. Bartholini* anatomia et *Julii Caſſerii* tabulæ anatomicæ nec non *Adriani Spigelii* Tract. de foetu formato anno 1656 in germanicam lingvam translata ſunt. Interea *Th. Bartholinus* anatomiam parentis *Caſpari Bartholini* novis obſervationibus et figuris locupletatam **) ediderat, qvi liber ſecunda vice jam anno 1645 ibidem auctus, atqve tertia vice ad ſangvinis circulationem reformatus, cum novis iconibus ibidem 1651, 1669, Hagæ-Comit. 1655, 1660, 1663, 1669 divulgatus eſt ***). Ille idem anno 1648, ſumma ingenii vi, qva polluit, vindiciis anatomicis, qvas *Caſp. Hofmanno*, *Riolano*, aliisqve oppoſuit, parentem defunctum maſcule defendit ****). Præter hæc magna, nova tum temporis doctrina de vaſis lacteis et lymphaticis, auctoris nomen immortalitati commendavit *****), neqve minus alia ſcripta fere innumera, qvæ intra paucos annos

*) Syntagma Hafn. 1643.

**) Lugd. Batav. anno 1641. 8vo.

***) Qvantam admirationem anatomia *Th. Bartholini* in omnibus fere terris cultis movit, id nulla res clarius monſtrat, qvam multæ verſiones hujus operis, apud varias nationes. Primam ejus verſionem, curante *Simone Pauli* in fructum chirurgorum, *germanice* edidit *Mich. Kirſtenius*, Hafniæ 1648; ibidem 1657; ſecunda vice idem liber in lingvam *gallicam* verſus prodiit cura *Abrah. Pratæi*, Lut. Paris 1646 in forma 4; qvæ verſio *italicis* verſibus reddita Hoſtil contalgenus Flor. 1651 in form. 12. Tertiam editionem in *Belgicam* lingvam transtulit *Thomas Staffart*. Leiden 1653. 8, Hagæ 1658. 8. Leiden 1669. 8. Eadem editio in *Anglicam* lingvam verſa prodiit. Lond. 8. Idem liber qvarto ad circulationem ſangvinis et vaſa lymphatica renovatus Leid. 1673 in 8. Lugd. Gall. 1676. 4.

****) Hafniæ in forma 4.

*****) Scripſit de hoc argumento; Hiſtor. anat. de lacteis thoracicis in homine brutis-

annos elaboravit, postqvam in munus *Simonis Pauli* anno 1647 successerat *). E his satis intelligi potest nec unqvam, nec ullibi terrarum, anatomiam corporis humani magis qvam sub immortalibus hisce viris floruisse Sic anatomia patriæ tarde emersit, excoli cæpta cito crevit. Qvæ serius hujus disciplinæ fortuna fuerit, inclytus noster *M. Skjelderup*, collega conjunctissimus et amicissimus nuper dilucide exposuit **).

D.

brutisqve observatis Hafn. 1652. 4to. London 1652. 12mo. Parisiis 1653. 8vo. Genuæ 1654. 8vo. Lugd. Batav. 1654. 12mo. Heidelb. 1659. 8vo. nec non inter opuscula anat. Hafn. 1670. 8vo. —: De lacteis thoracicis dubia anatomica et an hepatis funus immutet medendi methodum. Hafn. 1653. 4to. Parisiis 1653. 8vo. Leidæ, Heidelbergæ 1659. 8vo. etiam inter opuscula anat. 1670. 8vo. —: Vasa lymphatica in animalibus inventa, et hepatis exseqviæ. Hafn. 1653. 4to. Parisiis 1653. 8vo. Genuæ. Leid. Heidelb. alibiqve, item inter opusc. anat. —: Vasa lymphatica in homine inventa Hafn. 1654. 4to et in opusc. anat. 1670. —: Defensio vasorum lacteorum et lymphaticorum adversus *J. Riolanum* Hafn. 1655. 4to. (opposita hujus viri animadversionibus Parisiis 1653. 8vo.) —: Examen Lacteorum contra *Riolanum* et *Harvejum* Hafn. 1655. 4to. Francof. 1656. 4to. item inter opuscul. anat. —: Specilegia duo ex Vasis lymphaticis, ubi virorum *Glissonii*, *Pecqveti*, *Backii*, *Cattierii*, *Le Noble*, *Tardy*, *Whartonii*, *Charletoni*, *Bilsii* etc. sententiæ expenduntur et examinantur Hafn. 1657, 1660. 4to seorsim, junctim vero Amstel. 1661 edente *Gerardo Blasio*.

*) vide Animadversiones in Anatomica *Hofmanni* 1648. 4to. — Collegium disputationibus XVIII adornatum ibid. 1651. 4to. — Historiarum anat. rar. Centuria prima et secunda ibid. 1654. 4. —; Hagæ comit. Roderodami, Amstelodami 1654. 8. Germanice edita a *G. Segero* Francof. 1657. 8vo. Belgice Amstelod. 1657. 8vo. Hist. anat. cent. tert. et qvart. Hafn 1657. 8vo. et alibi —; qvinta et sexta Hafn. 1660. 8vo. — multa alia eximia.

**) Prolusio Hafn. anno 1811.

D. Chirurgia, ex qvo nata eſt, eandem fere fortunam habuit, qvam medicina clinica. Harum utraqve, ſolis experimentis olim innixa, fidentius exercita prius eſt, qvam ad artis dignitatem aſcenderet. De chirurgia Ægyptiorum, qvorum laudem etiam in hac arte Græci invidioſi obſcurarunt, pauca tantum literis prodita ſunt, qvorum memoratu digniora ſupra attulimus. In qvo loco chirurgia apud Græcos et Romanos ante *Celſi* ætatem fuit, hujus viri ſcripta clare oſtendunt. Multa remedia externa jam tum tentata fuerunt, non pauca artis inſtrumenta ingenioſe excogitata, variæ ſimul operationes chirurgicæ audacter inſtitutæ. Horum ſingula qvo minus perſeqvi posſim, hujus ſcriptionis limites prohibent; tantummodo moneo, chirurgiam, qvalis tum fuerit, ob anatomiæ maxime rationem adeo imperfectam, incertum ægrotis auxilium plerumqve promiſiſſe. Qvæ enim temeritas major qvam innocenti humano corpori aut cultrum aut ignem admovere, niſi illius organa, ſaltem præcipua, cognita habeas. O felicem, qvem ſub tali conditione fortuna nunqvam fefellit *)! Speciatim memorandum eſt, chirurgiam *Celſi* tempore ad hæmorrhagias e vaſe læſo inhibendas multo plus qvam olim valuiſſe, etiam plus qvam diu poſt ad *Paræi* ævum usqve effeciſſe. Ipſe *Celſus* de his artis remediis ita loqvitur: Qvæ, inqvit, res efficit, ut neqve rodentibus medicamentis, neqve adurentibus, et ob id ipſum inducentibus cruſtam (qvamvis pleraqve ex his ſangvinem ſupprimunt) ſit utendum: ſed ſi ſemel ad ea decurritur, his potius, qvæ mitius idem efficiunt. Qvod ſi illa qvoqve profluvio vincuntur, *venæ* (ɔ: arteriæ), *qvæ ſangvinem fundunt, apprehendendæ, circaqve id, qvod ictum eſt, duobus locis deligendæ intercidendæqve ſunt, ut et in ſe ipſæ coeant, et nihilominus ora præcluſa habeant.* Ubi ne id qvidem res patitur, ferro candenti aduri" **). Poſt chirurgia ſortem fere

*) *Albucaſis* affert hiſtoriam hominis, qvi Ischiade laborans, anatomiæ ignorantia interemtus ſit, cum Chirurgus ejus tarſum canterio usſiſſet, tendinesqve in iſto loco læſiſſet. (vide Freindi Hiſt. med. p. 271.)

**) Libr. V. c. 26. p. 290.

fere æqve tristem, ac ceteræ disciplinæ et artes, experta est; verumtamen minus particeps discordiarum, qvibus medicorum sectæ inter se olim jactabantur. Scilicet chirurgiæ præcepta, saltem qvatenus mechanismus artis ad hæc ducit, sensui communi et sanæ rationi magis exposita, facilius intelliguntur, artificisqve manum dextram et usu adsvefactam magis exigunt qvam animum profundis meditationibus et altissimis studiis immersum. Hac de causa, ut videtur, chirurgorum bene multi, utilia ambitiosis præferentes, plus ingenio et arte qvam eruditione et doctrina valuerunt. Arabes, qvamvis anatomiam neglexerunt, chirurgiam nihilominus exercuisse, eamqve observationibus bene multis locupletasse non inficias ibo. Sic ars sensim amplificata qvidem est, incerta tamen ac levifida diu mansit; nec qvidem primo post *Mundinum* tempore (an. 1305 - 1318) magnos progressus fecit. Hoc liqvet e systemate chirurgico, qvod anno 1363 conscripsit *Guido de Cauliaco* *), Professor Monspeliensis, vir, si cum suis coevis comparatur, doctrina et experientiis insignis. E sua, qvam de chirurgiæ ratione conscripsit, historia cognoscimus, *qvinqve* tum sectas inter hujus artis Professores fuisse. Harum *prima*, seculo 12 Salerni florens, *Rogerium*, et *Rolandum*, qvi hunc paulo post compilavit, seqvens, omnibus vulneribus, abscessibusqve sine ullo discrimine *cataplasmata* admovit; *secunda*, qvæ *Brunum* et *Theodoricum* (utrumqve seculi 13) consectata, in iisdem morbis *vinum* unice svasit; *tertia* ducibus *Guil. de Saliceto* hujusqve compilatore *Lanfranco* (qvi ambo itidem seculi 13 sunt) mediam viam secans, vulnera *ungventis mollibusqve emplastris* tractavit; *qvarta* Germanorum secta fuit, qvæ *Paracelsi* castra seqvens, *oleum* et *lanam*, *potiones* et *cantamina* promiscue adhibuit; *qvinta* demum muliercularum vulgiqve imperiti, qvi in omnibus morbis ad *Sanctos* duntaxat confugerunt **). Ab hoc tempore ad *Ambrosii Paræi* ætatem usqve (scilicet medium

*) Chirurgiæ tractatus VII Venet. 1490. fol.

**) Collect. chir. latino-barb. Venet. 1499.

dium seculi 16) qvo temporis intervallo anatomiæ studium non nihil profecit (conf. p. 17) chirurgiæ facies fere immutata mansit. Magnus hic vir *ligatura arteriarum* primus post *Celsum* (conf. p. 63) denuo usus, præstantissimum hoc artis remedium, seculorum oblivione sepultum, in lucem protraxit, illudqve posteritati vel ante *Harvæi* ætatem (1628) commendavit *). Ipse auctor ingenue fatetur, de hoc remedio se nihil unqvam sive visu sive auditu percepisse, sed experimenti instituendi ansam ex qvibusdam verbis in *Galeno* de vulneribus arripuisse, qvod illi tam bene cessit, ut afflatu qvodam Divino id se consecutum existimaret. Fatendum qvoqve est, e hoc illius invento maxima commoda ad artem pervenisse.

Hactenus de chirurgia generatim. Hujus disciplinæ fata sortisqve vicissitudo in patria, sub assidua illa temporum morumqve vertigine, nimis adhuc densis tenebris involuta jacent. Nescimus, num vel Ægyptiorum, Græcorum, Arabum, Latino barbarorum codices manuscripti ad septentrionem prius pervenerint, qvam ars typographica inventa sit, neqve minus, si qvi pervenerint, qvinam? Æqve incertum est, num chirurgi tum temporis ad codices in his lingvis intelligendos satis eruditi fuerint. Numerus chirurgorum literatorum, inqvit *Riegels* **), seculo XVI vel in Gallia exiguus fuit. In patria omnis medicina clinica, tam chirurgica qvam medica, ab antiqvissimis inde temporibus mulierum manibus (velut ad normam 5tæ *Guidonis* sectæ) credita fuisse videtur ***). Seculo XI (nimirum *Avicennæ* et *Albucasis* ætate (conf. p. 44.)), de *viris* qvi utramqve artem exercuerunt, prima

*) Opera lat. reddit. per *Jo. Guillemeau.* Paris 1582. fol.

**) pag. 358.

***) *M. Saxtorph* i Samling af Vidensk. Selsk. Skrift. 2 B. 1783. p. 112. *Sneedorffs* samlede Skrift. 1 B. p. 59.

ma mentio fit *). Videtur qvoqve ars medendi, jam tum in duas partes inter *medicos* et *chirurgos* divisa, qvorum tamen utravis nullius momenti censeri potest. Nec a seculo XI ad Universitatem denuo restauratam ullum memoratu dignum chirurgiæ Danicæ incrementum scripta produnt: neqve ante *Simonis Pauli* tempus (an. 1639) chirurgis licuit anatomia corporis humani, tam necessario hujus artis subsidio, institui. Olim qvoqve defuerunt nosocomia, qvæ ceu scholæ practicæ iis aditum ad artis exercitium aperirent **). Demum non liqvet, qvo tempore primus instrumentorum chirurgicorum opifex chirurgiam Danicam sublevavit. Ex his colligi potest, qvantulum scientiæ, veritate non violata, tribuendum sit illis chirurgis, qvorum causa Rex *Fr. II* jam anno 1577 *Collegium chirurgicum* fundavit. Eos, si qvid artis tenuerunt, peregrinos fuisse, qvæ supra attuli, credo, manifestant. Beatus noster *Riegels*, cujus ardor pro studio chirurgico eximius gratiam posteritatis meret, medicinæ Professores, qvi *Casparum Bartholinum* præiverunt, iniqve vituperat, "qvod anatomiam *forte* non nisi ex libris docuerint, nec *forte* chirurgiam administraverint, atqve *idcirco* favore erga chirurgos caruerint" ***). At si chirurgiæ facies talis in patria fuit, qvalem supra exhibui, qvid tum, qvæso, eruditis hisce viris amplius licuit? Valde vereor, ne ea, qvam autor medicis intendit, vituperatio idemqve contemptus in ejusdem temporis chirurgos merito verti possit. Ii suam fere omnem sapientiam e scriptis *Albucasis*, et *Styllei* in primis ****), cujus anatomia et me-

*) *Nyerups* Udsigt over Fædrenes. Lit. i Middelald. 1804. p. 5. conf. hujus prolusionis pag. 51.

**) *Badən* om Lægevidenskabens Forf. i Oldtiden og Middelald 1801.

***) De fatis chirurg. p. 358.

****) Titulus hujus libri est: "Handbuch des *Chirurgiæ*, darinn gantz eigentlich vnnd grundtlich gelehret wird nemlich, was Chirurgia sey, mit einer nützlichen anatomischen Beschreibung, sehr dienstlich vnd nothwendig, nicht

medendi ars æqve imperfecta, hauserunt. Sic jussit necessitas, sic tempora, sic mores voluerunt *). Post *Simonem Pauli* et *Thomam Bartholinum* patria non paucos certe in anatomia bene edoctos habuit chirurgos; eodem tempore anatomia multum provecta (conf. p. 60) studium chirurgicum valde juvit; tum etiam *Wilhelmi Fabricii ab Aqvapendente* et *Ambrosii Paræi* opera libros, qvos nuper nominavi, e manibus chirurgorum excussisse videntur. Ad juventutem vero in arte exercendam patres adhuc nosocomiis ceu scholis practicis caruerunt. Ipsius artis dignitatem illius temporis professores sane non ignorarunt, multo minus eam vilipenderunt; contra de ipsius progressu valde solliciti fuerunt. Hoc e variis literarum monumentis manifestum **).

nicht allein den jungen angehenden Chirurgis, sondern auch allen Liebhabern der Kunst, zu freundlichem Dienst vnd Wolgefallen beschrieben vnnd an Tag gegeben, durch *M. Petrum von der Stylle*, Barbirer vnd Wund-Arzt. zu Franckfurt am Mayn. *Copenhagen*, in Verlegung *Peter Haubolds* 1651.

*) conf. C. IV Kirke-Ordinantz af 2den Jul. 1607. In hac lege sermo qvidem est de Nosocomiis, communibus dictis, instituendis, in qvæ leprosi aliiqve ægroti recipi possent; sed neqve medicorum nec chirurgorum, qvi horum ægrotorum curam gererent, ulla mentio fit. In victus ratione et balnei usu omnis fere sanationis spes tum adhuc posita est. "Der skal vel holdes en Badstue for dem alle, men dog saa, at der holdes underskedelige Tider, paa hvilke hver efter sin Leilighed skal indgaae, at de ikke skulle indbyrdes være Aarsag til hverandres ydermere Fordervelse. De Syger, som lægelige ere, saasom Pokker (Lues venerea) dem skal *Lægerne udi Kiöbstæderne* giöre deres Beste til, og legge flitteligen Vind paa at læge dem, og tage en billig Lön for deres Arbeid og Omkostning, at de Fattige maae ei allene opholdes, men ogsaa hielpes til Förlighed, saameget som mueligt er."

**) Ad id illustrandum uno exemplo contentus ero. *Andreas Toxotius* (Neapoli Falstrorum) anno 1614 ad *Olaum Wormium* ita scribit: *Jacobus Guil-*

E. Ars obſtetricia. Hujus ſortem in patria cum ante paucos annos *Mathias Saxtorphius*, cujus nomen emori non poteſt, fuſe et accurate expoſuit *); hanc prætereo, ne rem actam agere videar. Moneo tantummodo, Divinam hanc artem ante inſtitutum noſocomium puerperarum parum cultam fuiſſe **); neqve hujus artis præcepta ante annum 1739 obſtetricibus et alumnis

Guilmeus, Regius apud Pariſienſes chirurgus, emendatiorem magisqve adauctam operis ſui chirurgici (*Paræi* nempe) editionem parturiebat, qvæ ſi ad oculos pervenerit tuos, fac me certiorem. Semper a teneris chirurgico deditus fui ſtudio, et etiamnum undiqve colligo et corrado qvoslibet; qvotqvot autem invenio, vel in methodo, vel artis pragmatia poenitendos committunt hinc inde errores. Optandum unice facultatem tandem illam certa theorematum methodo, nec non tutis pharmacis inſtructam in publicum communi bono prodituram. Huic *Wormius* anno 1616 ita reſpondet: "Te Danicæ noſtræ Machaonem rara qvædam longo uſu et manuali experientia in chirurgicis moliri auguror. Certe nobilisſima hæc medicinæ pars, ut ab impoſturis et carnificinis barbitonſorum noſtrorum per te vindicetur, efflagitat. Chirurgicas *Aqvapendentis* operationes remitto. *Olaus Borrichius* de nuper laudato (pag. 65.) *Paræi* inveuto hæc habet: Eſt qvod gaudeant experimentis addicti Provinciales, inqve ſcenam prodeant alacriores, novis beaturi ſecula inventis: qvæ inter ad nos qvoqve jam, Gallo auctore, tranſiit illa omni ævo hactenus inaudita ſiſtendi ſangvinis ratio Pythagoricam uſu ſalutari meritura hetacomben. (Dedicat, ad Hermetis ſapientiam anno 1674)

*) Om Födſels-Hoſp. Stiſtelſe i Nye Saml. af Vid. Selſk. Skrift. 2 D. 1783 p. 123.

**) conf Regis C. IV Kirke-Ordinanz af 2den Jul. 1607 qvæ inter plura præſcribit: "Saadanne Jordemödre ſkal man have, ſom ere ærlige og gudsfrygtige, ſom forſtaae ſig *noget* paa ſit Embede. — Prædicanterne ſkulle underviſe diſſe Jordemödre, hvorledes de ſig ſkulle have, baade med Barſel-Qvinder og med Foſteret. De kunne tröſte Qvinderne med, at Gud er ſeſv nærværendes tilſtæde, giörendes ſelv det beſte, derſom han

pac-

nis Universitatis tradita, qvo tempore *B. J. de Buchwald* primus inclaruit. — Transeo qvoqve *Chemiæ* et *Pharmaciæ* sortem in patria, cum hoc argumentum alio loco ipse perseqvi conatus sum *).

F. Physiologia. Antiqvitas, coelum et terram dum intuebatur, rerum, qvæ in sensus caderent, impulsu excitata, et rudi harum forma non acqviescens, admirabili et humanæ naturæ insita sciendi veriqve cognoscendi cupiditate flagravit. Tum mens in objecta altius penetrare studuit, ut phænomenorum *causas* erueret et perseqveretur. At qvamdiu medicinæ studium universæ sapientiæ pars habita sit (pag. 16) philosophi in mentis humanæ vim et functiones maxime intenti, *Psychologiam* prius egregie illustrarunt, qvam cuncta vitæ phænomena e corporis structura explicare, seu *Physiologiæ* fundamenta struere conati sint. Qvin valde probabilis est hæc conjectura; physiologiam doctrinæ de animi facultatibus et ægritudinibus originem suam debere. *Plato* saltem, in cupiditatum differentias inqvirens, atqve tria sapientiæ studioso bona statuens, alia nimirum corporis, alia fortunæ, alia animi; illam appetitionem, qvæ in corporis duntaxat bona irrumpit, ex *jecore*, qvæ in externis fortunæ bonis versatur, ex *corde*, qvæ demum animi bona proprie sunt, ex sola voluntate, *cerebro*, ceu proximo mentis organo, insita, oriri docet. *Democritus* qvoqve iis, qvas instituit, animalium dissectionibus ad mentis humanæ facultates et vitia potissimum respexit (pag. 13). Demum *Hippocrates* medicinam ab universæ sapientiæ studio separans, hanc philosophandi rationem ita restrinxit, ut medicus in sua tantum arte philosopharetur, neqve ultra hanc auderet, qvo ad proprie dictæ physiologiæ studium

paakaldes. Dersom Barnet er i Livsfare, efter det er föd, da skal Jordemoderen med andre gudfrygtige Danne-Qvinder, som hos ere, strax befale det Gud med disse eller slige Ord: O Herre Jesu Christi, dette Barn ofre vi dig, efter dit eget Ord, og beder dig, at du annammer det, og lader det blive en Christen."

*) In Pharmacopoeæ danicæ historia nondum typis impressa.

dium ſimul hortatus eſt, dum præcipit: *conare, ut phyſicus evadas* *). Plurimæ, poſt *Hippocratis* ævum enatæ, medicorum ſectæ, ab *Aſclepiade* et *Galeno* ad *Paracelſum* et *Brunonem* usqve de phyſiologicis principiis magis qvam de ipſius artis ſive regulis ſive mediis certarunt. Illi omnes in eo conveniunt, ut medendi ſcientia ſive philoſophia rerum naturalium, corporis humani in primis, trunca et debilis ſit, atqve ut nulla *rationalis* medendi methodus, niſi certis principiis phyſiologicis et pathologicis ſuperſtructa, præſcribi posſit. Hinc ſummi medici cujusve fere ævi, ut talem artem bene fundarent et apte coagmentarent, ſtuduerunt et magnopere laborarunt. Hic labor, hoc opus fuit. Verumtamen cum phyſiologia ex anatomia in primis et chemia, phyſica et matheſi, in unum velut coactis, ſua principia petit; fieri aliter non potuit, qvam ut qvicqvid olim in variis his diſciplinis aut defuerit, aut rationi contrarium fuerit, phyſiologiam corriperet. Qvare tardus harum diſciplinarum progreſſus phyſiologiæ incrementa retardavit. Qvid et qvantum in ardua hac doctrina usqve ad medium ſeculi XVI præſtitum fuerit, id e magni *Fernelii* ſcriptis perſpicitur **). Qvod fatum poſt experta eſt, alio loco fuſius docebo. Sat habeo hic monere, phyſiologiam ante tempora *Harvæi* in primis et *Thomæ Bartholini*, per partes tantum cultam, erroribus plenam fuiſſe. Hinc mirum non eſt, ſi *Gellius Saſcerides* (an. 1612. 13) tempori inſerviens, librum *Ph. Melanchtonis* de anima tanqvam ducem ſeqvens, phyſiologiæ ſtudioſis, qvæ ad humani corporis ſtructuram et facultates ei cum anima communes pertineant, publice explicavit; neqve magis attoniti ſtupeſcimus, ſi qvid ſive nugarum ſive errorum, qvos poſt fugere didicimus, ſit in prælectionibus tam *Caſpari Bartholini* anno 1708, qvam *de Frankenaui* anno 1712, qvæ eandem doctrinam tractant. Nempe de ſangvinis circuitu nihil tum temporis certum exploratumqve fuit; via ad chyli

*) Libr. de ſterilitate c. 18. §. 1.

**) Phyſiolog. Libr. VII.

chyli ingressum in sangvinem nondum detecta; hepati sangvificationis opus adjudicatum est; de pulmonum officio docentes dubii hæstitarunt, num aër haustus sangvinem refrigeraret, an calefaceret et sic porro. Ultra physiologiæ limites, adhuc tam restrictos, cel. iis viris progredi haud licuit. Interea ob mancam rationem anatomiæ, chemiæ ceterarumqve disciplinarum, qvibus junctis physiologia innixa est, multi medici, ceteroqvin eximii, maxime deliqverunt, qvod non ex omnibus hisce disciplinis conjunctis, sed ex earum una alterave sola, separata, physiologiæ principia ducere opinati sunt. Hinc sensim varia artis systemata nata sunt, qvorum auctores aut ab una modo parte artis objectum consideraverunt, aut meris hypothesibus artis præcepta, solidiori experientiæ, ceu primæ veritatis parenti, repugnantia, extorserunt. Ea tamen laus physiologis maxime debetur, ut fervorem medicinæ studio tam proficuum alere nunqvam destiterint, ipsamqve artem medicam sæpe langvescentem et sopitam semper resuscitarint.

G. *Medicina forensis.* Dubitari neqvit, qvin omni ævo tam in vita qvam in re publica regenda varii casus occurrant, qvi sine cognitione medica nec perspici nec dijudicari possint. Cum vero ad ejusmodi casus pensitandos ac recte æstimandos aliqvam certe in toto disciplinarum medicarum orbe, nimirum in anatomia, physiologia, pathologia, hygiene semiotica, therapia, medica et chirurgica, deniqve in arte physica et chemica, perfectionem causæ multæ eæqve graves necessariam faciunt; mirari non debemus, si gravis hæc medicinæ publicæ pars, qvæ nunc artis velut lapis lydius merito habeatur, post ceteras omnes medicinæ disciplinas, versus seculum nempe XVII in ordinem demum redacta sit. Variæ qvidem observationes, qvarum ministerio prima medicinæ forensis fundamenta substrui potuissent, ante hoc tempus in philosophorum et medicorum scriptis latuerunt, easdem tamen passim dispersas ante legem *Carolinam* de capitis judicio (Halsgerichtsordnung) anno 1532 editam, cum principes tum jurisconsulti et medici parum

anim-

animadverterunt *). Hinc illæ lacrymæ; hinc magna infortunia humano generi nata. Plurimæ enim gentes ante hoc ævum in casibus dubiis, qvorum magnam partem philosophia, disciplinis medicis nupta, extricare valuisset, ob nimiam in primis Clericorum dominandi cupiditatem populorumqve superstitionem variis remediis, dubiis non minus qvam ancipitibus, qvæ religiosa maxime credulitas subministravit, caliginem eventis offundere potius, qvam veritatem licitis mediis elicere et in lucem proferre allaborarunt. Sic medium ævum in casu forensi variis, ut veritatem extorqveret, cruciatuum generibus usum est, qvæ non dissimilia fuerunt iis, qvibus applicatis, Christi nomen et religionem ingenue fassi martyres, aliqvot ante secula, torqvebantur. Nimirum adhibita sunt tormenta funis seu chordæ, vigiliarum, taxillorum, sibillorum aliaqve non minus atrocia. Eadem ætas insuper in casibus dubiis sive ad judicium Divinum dictum (*Jernbyrd*, Gottesgericht) sive ad sententias oraculorum secretas (Vehmgericht, heimliche Acht) sub pietatis specie et umbra confugit. Judiciorum antistites, ut oraculi decretum cognoscerent, varia experimenta, et superstitione plena, et legibus tam physicis qvam organicis minus consona, reos capere jubebant, ad qvorum exitum hos aut ut noxios temere damnant, aut ut innoxios absolvunt **).

Lex

*) Geschichte des peinlichen Gerichtsordnung Kaiser *Karl des Fünften*. Nyrnberg 1784. 4.

**) Præcipua hujus generis experimenta hæc erant:

a) *Experimentum cruce factum.* Duo bacilli, ejusdem formæ, qvorum alteruter cruce insignitus erat, reo porriguntur, ut ambos lana clam involutos in altari poneret. Tum sacerdos, votis pro experimenti successu solenniter nuncupatis, obtectorum baculorum, utrum mavult, eligit. Si antistes forte fortuna in crucis signo notatum incideret, reum insontem judex pronunciat; sin in alterum; damnat.

b) *Ex-*

Lex *Carolina*, etsi, qvi hujus ævi mores fuerunt, nimis acerba et rigida, id tamen commodi attulit, ut medicinam et jurisprudentiam velut connubio jun-

b) *Experimentum ferro candente.* Sacris votis et exorcismo peractis, ferrum igne candens reo porrigitur, qvod nuda manu præscriptum aliqvot passuum spatium gestare jubebatur. Tum manus fasciis involvitur. et involuta obsignatur. Si tertio post experimentum die nullum ambustionis signum in rei manu apparuerit, eum judex absolvit, et tanqvam innocentem dimittit. Anceps hoc experimentum, post *Popponis* miraculum seculo decimo, etiam in Septentrione receptum fuisse, variæ litterarum monumenta edocent. "Qvo evenit", inqvit *Saxo* (Lib. X. p. 189)", ut Dani, abrogata duellorum consvetudine, pleraqve causarum judicia eo experimenti genere constatura decernerent; controversitatum examen rectius ad *arbitrium divinum*, qvam ad humanam rixam ablegandum putantes" conf. Skaanske Lov af *Waldemar*, Forordningen om *Jernbyrd*; *Hagen Adelsteens* Gule-Tings-Lov 30, *Magni Lagabæters* Gule-Tings-Lov 233, *Hagen Hagensens* Gamle Forstetings-Lov 34, 57, 121, 131, den gsmle Biarköe- eller Birke-Ret 268, Christen-Ret 273, 300, 301, 302, gamle Kongelige Norske Forordninger fra Kong *Hagen Hagensen* til Kong *Fr. III* Död.

c) *Experimentum aqva fervida.* Hoc eodem ritu capitur. Lapidem ex profunditate labri, aqva fervente consacrata impleti, reus nuda manu eximere tenetur, qvod si tertio post die manus ab ambustione intacta fuerit, absolutus reus est, et insons judicatur.

d) *Experimentum innatatione.* Reus in lacum initiatum dejectus, si aqvæ innatavit, noxius damnatur: sin autem ad fundam descendens ibi mansit; innocuus existimatur.

e) *Experimentum cruentatione* seu *attactu demortui.* (Baarrecht) Si homicida vulnus corporis ab ipso occisi manu tangebat, id sangvinem, nescio ex sympathia an ex antipathia fundere crediderunt; qvare sangvifluxus, e tali attactu subortus, ad reum damnandum judici suffecit.

jungeret, qvare medicinæ forenſis vel legalis origo e hac lege recte ducitur. Atqve in his primus qvaſi glaciem fregit *Fortunatus Fidelis*, medicus Silicenſis celeberrimus. Is enim verſus exitum ſeculi XVI qvatuor libros *de relationibus medicorum* edidit, qvos ex antiqvitatis ſcriptoribus magna diligentia nec minori acumine collegerat *). In his libris non ea modo, qvæ medicum forenſem proprie attineant, diligenter expoſuit, ſed varias ſimul qvæſtiones, ad politiam medicam ſpectantes, ſcienter diſſolvit, verbo: *fundamentum totius medicinæ publicæ* jecit. Eum poſtea in hac via proxime ſecutus eſt *Paulus Zacchias*, Papæ *Innocentis* X archiater celebris **). Mirum! qvantum fructum e horum duumvirorum ſcriptis tam Juriſconſulti qvam Medici ceperunt; "loqventur hos, inqvit *Francus de Francenau* ***) tribunalia, ediſcerent dicaſteria, docebunt cancelli curiarum, et ciſtæ Facultatum ". Mirum! qvantum eadem ſcripta et Juriſconſultos et Medicos ad novum hunc ſcientiæ campum excolendum incitaverint. Mitto Juriſconſultos, nempe *Caſparum Zieglerum*, *Henricum Cocceium*, *Ulricum Huberum*, *Henricum Güntherum Thulemarium*, *Gerhardum Feltmannum*, *Martinum Naurathum*, *Michaelem Budewinum*, multosqve alios, qvi ad medicinæ legalis incrementum multum contulerunt; ad medicos me recipio, inter qvos *Gottofredus Welſchius* ****) *Johannes Bohnius* *****) *Johannes Daniel Hor-*

ſtius

*) Panorm. 1598; Palerno 1602. 4. Venet. 1617. 4. Edit. *Ammani* Lipſ. 1674. 8.

**) Qvæſt. medico-legal. Rom. 1621. 4. Edit. *Horſtii* aucta Francofort. 1666. fol. Edit. *Franc. de Francenaui* Francoſ. 1686. fol.

***) in Præfatione ad *Zacchiæ* qvæſt.

****) Rationale vulnerum lethalium judicium Lipſ. 1674. 8.

*****) Spec. prim. medicinæ forenſis Lipſ. 1690; ſecundum ibid. 1690; tertium ibid. 1692. 4. De officio medici clinici et forenſis. Lipſ. 1704. 4. De renunciatione vulnerum. Lipſ. 1711. 4.

ſtius *) *Michael Bernhardus Valentinus* **) *Paulus Ammannus* ***) et *Georgius Francus de Francenau* ****) ceteris palmam præripuerunt. Nimis longus forem, ſi in ſingulos progreſſus, qvos medicina forenſis a lege *Carolina* inde (1532) ad *Francenaui* ætatem usqve (1726) fecit, inqvirere vellem. Qvare ſat habeo præcipua, qvæ laudati illi viri adtulerunt, adjumenta paucis comprehendere. Judicia Divina dicta, ut fide indigna, lex Carolina abrogavit, neqve minus ſecretas oraculorum ſententias. Reformatio tam religionis per *Lutherum* aliosqve plures, qvam medicinæ per *Paracelſum* et *Helmontium*, qvæ in hanc epocham incidit, mortalibus cogitandi diſſerendiqve libertatem demum reddidit. Ob ſanitatis et vitæ periculum, qvod crudelis illa per tormenta qvæſtio (torturam vocant) accuſatis minitabatur, et ob innumera exempla hominum innocentium, (ex. gr. ſagarum) qvi, qvod ferendis iſtis cruciatibus impares erant, capite damnati ſint; criminis rei et conſcii, ſi modo dolores atrocrisſimos et ſupplicia atrocisſima ſuſtineri poſſent, poenam ſubterfugerunt. Hæc barbaries (cujus veſtigia adhuc tamen ſuperſunt) demum abolita eſt; qvæ res medicis forenſibus magnæ lætitiæ fuit *****). Interea a *Pa-*

*) Is *Zacchiæ* qvæſtiones edidit 1666.

**) Pandectæ medico-legal. Francof. 1701. 4. Novellæ med. legal. ibid. 1711. 4.

***) Edit. *Fortunati Fidelis* de relat. med. Lipſ. 1674. 8; medicina critica 1677. 4. Irenicum *Numæ Pompilii* cum *Hippocrate* Francof. 1689. 8. Praxis vulnerum lethal. Francof 1690 8.

****) Edit. aucta Qvæſtionum *Zacchiæ* 1688. fol.

*****) Qvantum cruciatus ipſe Medicus, qvi torturæ intereſſe jubebatur ſuſtinuiſſe eſt exiſtimandus? Qvæſtionem per tormenta primum apud nos abrogavit Conſtitutio die 30 menſis Decembris anni 1771, qvæ humanitate et humanæ naturæ perſpicientia ſe valde commendat, qvæqve tam Medici, qvi tum multum valuit, qvam egregiorum Jurisconſultorum ingenio ſuam originem debeat. Verba legislatoris in §. 10 hæc ſunt: Een Skyldig maa heller gaae fri end een Uſkyldig lide; derfor forbydes de Tvangs-

Paræi ætate ad *Harvæum* et *Thomam Bartholinum* usqve magni progreſſus in chirurgia, arte obſtetricia, anatomia et phyſiologia facti ſunt. Multa ſomnia, qvæ fabellæ aniles in medicinam induxerant, eorumqve vanas ſpecies rationis lumen diſpulit, et firmiora ac tutiora protulit *). Ea res medico forenſi magno adjumento fuit. Inter patriæ medicos, qvi ſcriptis de medicina forenſi hoc tempore claruerunt, præ primis laudandi ſunt *Henricus Arniſæus* **) et

Tvangsmidler af Tamp, ſom hidtil ere brugte for at ſaae Sandhed udledet, og de Medſkyldige opdagede; da en Delinqvents Overbeviisning allene bör ſkee ved Vidner og Omſtændighedernes Rimelighed. (conf. *noſtri Gudenrathi* Forſög til den criminelle Lovs Forbedring i Stat. jur. og lit. Bibl. 1 B. 3 H. p. 230-31 om Torturen).

*) Liceat mihi tanqvam exempla errorum, qvi in Septentrione obtinuerunt, afferre nonnulla, qvæ in legibus vetuſtis Norvegicis reperiuntur. "End om Kone döer med Barnet i Barnsnöd, da ſkal man begrave hende i Kirkegaarden, ſom andre Mænd, og *ikke ſkiære* Barnet fra hende. (Kong *Magni* Gule-Tings Lov CXV. p. 218)". Det er nu dernæſt, at ethvert Barn, ſom bliver föd, ſkal udi vort Land opfödes, med mindre det er föd med den Skavank, at Anſigtet vender did, hvor Nakken ſkulle vende, eller Tæerne did hen, hvor Hæl ſkulle være, da ſkal det Barn föres til Kirken og döbes, men ſiden maa man legge det ned i Kirken, og *lade det der döe.* (Kong Hagen Adelſteens Gule-Tings Lov C. 20. pag. 29.) Bliver nogen overbeviiſt at have beblandet ſig med Bo-Fæ, da ſkal han gildes, og ſkal ſaadan udædiſk Mand fare af vor Konges Land-Egn, og aldrig mere komme tilbage. De Övrigheds-Perſoner, ſom der ere ſatte baade paa Kongens og Biſkoppens Vegne, ſkulde lade den Mand gilde (ſamme Lov C. 29. p. 44.) Hæc lex, qvam Critici ad annum 940 referunt, vetuſtatem *caſtrationis* in ſeptentrione indicat. Niſi ponamus magiſtratum hanc qvoqve operationem manibus mulierum tum commiſiſſe; conjectura aſſeqvimur, chirurgiam, ejus partem certe, decimo jam ſeculo a *viris* fuiſſe exercitam (conf. pag. 51.)

**) De partus humani legitimis terminis Francof. 1642.

et *Georgius Francus de Francenau*, Archiater et Comes Palatinus *). Ceterum Confiftorio concreditum fuit qvæftiones dubias in hac difciplina folvere ac dijudicare **). Qvantum ex Catalogis prælectionum intelligi posfit, *Dethardingius* primus medicinam forenfem anno 1738 publice docuit. Tam fero hanc difciplinam in patria cultam invenimus; eam nihilominus tum temporis mancam fuiffe ex eo judicari poteft, qvod Chemia ante exitum feculi XVII parum provecta fuerit. In utraqve difciplina hæc qverela jufte adhuc funditur: Qvam multa, et qvanta nefcimus!

Hæc qvaliacunqve ex artis medicæ hiftoria Lector æqvo animo accipias, auctoriqve faveas, impenfe rogo. Solennia, qvæ nomine Rectoris Magnifici et Senatus Academici hac fcriptione indicimus, funt illa, qvibus *Martini Lutheri*, facrorumqve per eum emendatorum memoriam, fimulqve Univerfitatis noftræ per Regem *Chriftianum III.* reftaurationem, qvotannis grati recolere folemus. Annuente Collegio Regio, cui Univerfitatis doctarumqve fcholarum moderamen concreditum eft, et favente membro ejusdem primario, *Principe Serenisfimo et Celsisfimo* **FRIDERICO CHRISTIANO**, *Hærede Norvegiæ, Duce Slesvici, Holfatiæ, Stormariæ, Dithmarfiæ* et *Oldenburgi*, hæcce folennia ita celebrabuntur, ut Collega Facultatis medicæ *Johannes Daniel Herholdt*, Doctor et Profeffor Medicinæ Publ. Extraordin. in æde Collegii Regii die X Novembris hora XI, oratione publica monftrat *fructum, qvem genus humanum, fpeciatim Patria, poft reftauratas literas e difciplinarum medicarum cultura cepit.* Qvo ritu feliciter peracto, vir amplisfimus atqve doctisfimus *Nicolaus Chriftophorus Kall*, a confiliis ftatus, L. L. O. O. Profeffor Publ. Ordinarius, hujus anni

*) *Zacchiæ* qvæft. edit. 1688.

**) vide Th. Bartholini Cift. med. L. XLIX pag. 390 et 522 a) Refponfum in caufa inqvifitæ, qvæ peperiffe judicatur, qvod in mammis lac inventum eft; b) an lac in mammis arguat partum præcedentem.

anni Decanus Facultàtis philoſophicæ, nomina eorum, qvi examen artium hujus anni eximio cum honore ſuſtinuerint, e Cathedra publico cum encomio pronuntiabit atqve proclamabit. Huic feſto ut adeſſe velitis Univerſitatis noſtræ fautores, amici, cives, ea, qva par eſt, Obſervantia rogamus.

Dabamus Hafniæ, die 30 Octobris, Anno MDCCCXII.

SUB UNIVERSITATIS SIGILLO.